




**R. P. Christophori de Ortega Sanclementini, E' Societate
Iesv. Qvondam in Provincia Toletana Theologiæ
Scholasticæ publici Professoris ... Tractatvs Dvo, De
Trinitate, Nec non, Incarnatione**

**Ortega, Cristóbal de
Lugduni, 1664**

Disputatio III. De aliis rationibus ob quas necessaria indicabatur Incarnatio
ad satisfactionem æqualem pro mortali, & si huius offensa, & malitia
finitæ sint.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94251](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94251)



DISPUTATIO III.

De aliis rationibus, ob quas necessaria iudicari potest à nonnullis incarnatio ad satisfactionem pro mortali.

AM cum iis conferenda manus est, qui mortalis, & malitiam, & offensam, finitam esse censentes, nihilominus non possent à pura creatura æquam compensationem pro mortali exhiberi defendunt. Id quod ægrè adeo tueri possunt, ut complures ex antiquis, & modernis Patronis hic sensus habeat, nemo ferè prædecessorum rationibus fidat. Hoc nobis opinionis huius dubiam semper fidem, certamque suspensionem fecit. Singulati rationes omnes disputatione præsentis examinandæ sunt.



QVÆSTIO I.

An offensa mortalis, licet finita, magnitudo ad sui satisfactionem necessario exigit personæ diuinæ incarnationem.

PRÆFIXVS quæstionis titulus apertus adeo est, ut nullam sui explicationem, etiam pro tardioribus requirat.

CERTAMEN I.

Affirmatiue authores, & reliquorum inconsequentia.

Affirmant S Thom 3. parte, quæstione 1. articulo 2. ad 2. Alenf. Bonauent. Vafq. Richard. apud Suar. disput. 4. sect. 3. circa medium quos, & ipse ibidem sectatur, quia licet finita sit mortalis offensa adeo tamen ex dignitate Dei offensi, & vilitate offendentis creaturæ moralis offensa mortalis æstimatio excrescit, ut lupremum genus offensa constituit. Atque omni puræ creaturæ dignitati, & æstimationi seu æstimabilitati mortali satisfactionis excedat, maxime cum pro vili creatura contemnatur Deus; quare diuinæ personæ satisfactione per naturam physicè sibi vnitam exhibita opus fuit, ut pro huiusmodi offensa fieret Deo satis. Huic conclusioni, & rationi inter alias quas quæst. 2. impugnabimus, assentiuntur vulgò Recentiores præsertim Complutenfes. In his tamen consequentiam desidero ipsi enim, ut respondeant calculatorio argumento de augmento moralis æstimationis offensa maioris, & maioris, pro maiori personæ offensa dignitate offendentis, non habere locum aiunt, eiusmodi calculationem, nisi in his qui offensa læduntur; Deum autem offensa mortali non lædi, offendi diuè propriè, sed solum quatenus insensus eorum malitiæ est, eamque est prorsus, ac proinde non inferri ex infinita dignitate Dei offensi, atque infinite distanti homunculi offendentis vilitate offensa mortalis infinitatem: Sed ecce inconstanter admittunt calculationem illam locum habere respectu Dei; ex se admittere debent Deum propriè mortalibus lædi, & offendi quod negabant, & offensa mortalis infinitatem, quam etiam in-

ficiabantur eo præcisè quia cum propriè non læderetur, nostris mortalibus Deus argumentum calculationis illius locum non habebat.

2 Sed instant: grauius est furari centum ab amico, quam ab inimico quin crescat malitia contra iustitiam sed quid inde præter hoc damnificatis, & legis proprie contendis inde locum habere calculationem? certe, si euincis contra te, ut dicebam, euincis. Secundo furari à digniori non auget malitiam futi: ergo neque malitiam mortalis quod vilissima creatura id fiat; quæ, quo vilior est eo minus à sua nobilitate peccando defecit. Tertio caue ne potius probes exemplo tuo iustum æque graui de se peccato grauius delinquere, quam peccatorum: quia ostendit amicum, cuius tamen oppositum ex instituto defendis disp. 3. memb. 4. §. 1. num. 92. tuncque huic ratione aduersatur: nam iustus dignior sane peccatore est, ac proinde minus offendet Deum quam peccator vilissimus. Contra quarto: quia sine horum omnium aduertentia, imò & notitia, ex sola aduertentia & cognitione grauitatis malitiæ, & dissonantiæ, quæ est in mortali committendo potest mortale committi: tuncque nihil circumstantiæ influent, neque erit contemptus Dei: cum nihil influat in peccatum nisi prænoscat. Dices non posse non cognosci eo ipso quod cognoscatur mortale, separationem peccatoris à Deo euilque inimicitiam, & odium. Sed negatur atque impugnatur facile assumptum. Separatio enim à Deo, eiusque odium totam malitiæ mortalis prauitatem supponit: non autem contra, quia nos à Deo separat, ipsique sumus odiosi: Malitia, & offensa mortalis grauis est, quare iis damnis ignotis cum sola cognitione grauis dissonantiæ mortalis malitiæ, & offensa grauis incurretur, quam statim sine scientia peccatoris eiusmodi damna sequantur. Quemadmodum, si filius ignarus odij paterni, quod ob furtum incurret, furatur, illud ipsum odium incurret, ut controversia de bonitate, & malitiæ docebamus cum Salas 1. 2. tom. tract. 13. disp. 16. sect. 22. Azor tom. 1. institut. moral. lib. 4. cap. 1. quæst. 4. Vega 3. in Trident. cap. 25 & aliis, estque planum: quia odium illud ob furtum est in Patre ob dissonantiam grauem mortalis in Deo, quæ quidem posita aliorum in aduertentia ponuntur si filius furetur & creaturæ grauius delinquit.

3 Card. Noster Ioannes de Lugo disp. 5. sect. 4. eadem rationi insistent demum impossibilitatem satisfactionis pro mortali à pura creatura ad rationem polyticam, quamque status vocant, reducit. Quia æquum est, inquit, ut non possit dari purè creata compensatio pro mortali, idque eius exigat offensa, ut natura, quæ Princeps in mortali ruit deterrita in officio contineatur: sciens nimirum se totis suis viribus, & totis naturæ impensis, nec posse offensam compensare, neque in Dei gratiam redire. Sed cum æquitas illa fuerit respectu Dei, ita statuentis mortalis offensa à pura creatura incompenabilitatem, inquiri, an eiusmodi constitutio diuina fuerit iuxta condignam, iustamque exigentiam intrinsecam offensa mortalis, an ultra illam, atque ex fine deterrendi homines à mortali; si primum offensa mortalis natura sua, eiusque intrinseca compenabilitas omni creaturæ, & infinite compensationi excedat, exigerque diuinæ, & increatæ personæ compensationem: quod renuit Lugo concedere, ne infinitam esse mortalis offensam admittat. Quod si dicas esse in offensa mortali, ut non exigentiam satisfactionis à persona diuina, ut ad condignitatem satisfactionis perueniat, tamen congruentiam, ut compensatio maior à Deo statuatur incidit in secundum dilemmatis membrum: neque id ex natura compensationis creatæ, & offensa mortalis erit, sed ex conditione arbitraria, licet congruenter à Deo adhibita ad reconciliationem, id autem non abolet naturalem, & absolutam compensationis creatæ, & offensa mortalis æqualitatem: quare incarnatio ex Dei libera, prorsusque arbitraria lege non verò ex naturali offensa mortalis magnitudine necessaria ad satisfactionem pro mortali foret.

4 Sed neque ratio illa polytica seu status nimis vrget, vt ita Deus statuisse monstratur. Et enim, etsi non ita statutum foret, sed iuxta sui valoris condignitatem offensa mortalis aliquo actu pure creato, saltem perfectissimo, atque arduissimo, vel immensa similibus congerie compensabilis ad æqualitatem permaneret, cum tamen hic actus, vel ea congeries non nisi ex gratia Dei peccatori inimici, & à Deo in se, quæ supernaturalis ordinis esset elici possent, scirent adhuc hominis totis suis naturæque viribus impensis, neque offensam mortalis compensari, neque eos in Dei gratiam posse redire: quod satis terribile foret. Quod si maior ex necessitate, arbitraria, licet congruenti incarnationis statuta ad satisfactionem terror incutiendus esset: cum statim incarnatio decerneretur, nobisque adesse innotuerit, & verbum incarnatum, eiusque infinitam satisfactionem, quid tanti remedij necessitate constituta deterrēbimur, quam nobis adesse certe nouimus? Confirmatur quia illa Dei voluntas ita statuens nequit deterrere à mortali nisi cognita ex reuelatione per fidem: ergo. Nequit deterrere infideles. Sed neque fideles deterrere potest, quibus non id solum fide cognitum est, sed etiam incarnatio, & satisfactio Christi, qua ad reconciliationem cum Deo, & compensationem mortalis ex arbitraria illa lege Dei egebant; Nec video, vt hæc omnia cessent, quidnam magis hominum moribus à Deo in peccato facilibus noceret, salutis recuperandæ per satisfactionem suam absoluta, licet ardua, potestas, an ex omnimodo absoluta impotentia satisfactionis, reconciliationisque cum Deo salutis desperatio? qua nimirum habenas vitii laxarent, studiumque virtutum omne reicerent.

CERTAMEN II.

Offensa mortalis finitæ magnitudo incarnationis necessitatem abolet non exposcit?

1 **V**T offensa finitæ mortalis, quantumuis ex præfata consideratione dignitatis Dei offensi, & vilitate hominis offendentis magna sit, satisfiat, necessariam incarnationem non fuisse, sed puræ creaturæ compensationem esse posse, satis, docent Alexand. 3. parte. q. 1. memb. 7. art. 2. corp. Scotus in 3. dist. 19. & 20. & in 4. distinct. 15. q. 1. art. 1. *Se quantum ad ista* quem sua schola imitatur, vt videre est in Scotista Fabro in 3. disp. 47. cap. 2. Richardus vterque. Palludan. in 3. distinct. 20. q. 2. & Caiet. 3. p. q. 1. a. 2. §. *Ad alterum* & apud Suar. proxime & apud R. Salmantinos Scotum reprehendens, quod S. Thomam iudicari aduersum Bañez. 1. parte q. 21. art. 4. licet ex his aliis solum sanctitatis dignitatem in satisfacturo requirant, alij vero Dei etiam pactum. Ruard. Sap. art. 6. §. *sed hæc satisfactio*. Valq. disp. 2. cap. 5. lxx. & auctoritatis, & rationis subiiciendæ pondere complentem scholam toto fere sæculo ad hæc vsque tempora trahens, Gasp. Hurt. disp. 1. diff. 10. Probatur primo conclusio argumentis datis disp. 2. q. 3. quibus probabamus, etsi infinita esset mortalis offensa ad satisfaciendum pro illa necessariam non esse incarnationem. Licet enim ex infinita dignitate personæ offensa & infinite distanti vilitate offendentis non crescat proportione arithmetica infinite offensa mortalis magnitudo, sed solum geometrica proportione iuxta aduersarios hosce, ac proinde non infinita, sed finita profus sit; tamen admissio per hos etiam ex magnitudine offensi, & vilitate offendentis maioribus crescere, etiam respectu Dei, offensam in morali æstimatione egereque in sui satisfactionem dignitate satisfaciens, quæ totum illud exæquet, neque Christi satisfactio super abundans erit, vt citata q. 3. cert. 1. monstrabam, imo neque sufficiens, vt ex his principiis

Cert. 2. ostendebam: ac demum ex vniuersalioribus principiis à pura physicè creatura poterit satisfactio æqualis exhiberi, vt certamine 3. videbamus: atque hæc quidem rationes vrgetius probant admiffa offensa mortalis finitudine: quare neque incarnatio erit necessaria vt pro mortali, vel eius offensa fiat satis, vt rationes illas perpendenti satis patebit.

2 Attamen rationibus aliis probandum hic erit statuta offensa mortalis finitudine pro illa fieri à pura creatura satis absolute posse: ac proinde eius satisfactionem persona diuina non egere. Sic probo satisfactio offensa finitæ non pugnat contradicitoriè cum satisfactione finita, quod non pugnet contradicitoriè cum satisfactione creata: ergo satisfactio offensa finitæ non pugnat contradicitoriè cum satisfactione creata: atqui per vos offensa mortalis finita est, ergo, eius satisfactio non pugnat contradicitoriè cum satisfactione creata. Probatur maior à contrario: offensa cuius satisfactio pugnat cum satisfactione finita infinita absolute est; quod enim finita quauis detractio non exhaurit infinitum absolute est, non finitum explicitum vim argumenti, & confirmo simul: etenim, licet nullum ex nostris operibus quantumuis perfectissimum satisfactio absolute sit pro mortali; quia iuxta rationes varias mox confutandas non æquat morali sua bonitate, & æstimatione mortalis prauitatem per aduersarios neque proinde tantum potest Deus in perfectissimo nostro opere complacere, quantum displicet in mortali: sed tamen vt hæc ita sit, negari nequit, quin bonitatem habeat, & magnam quidem eiusmodi opus, ratione cuius in eo Deus complacere, atque ex parte licet minutissima, aliqua tamen, Dei famam, & honorem mortali ablatum reparare. Tunc sic: id quod finitum est, atque aliquo, vel aliquibus operibus ex parte potest compensari, plurimum, & plurimum similibus actuum repetitione, & multiplicatione compensabile absolute est. Ergo, quod nulla operum nostrorum repetitione quantumuis perfectissimorum absolute compensabile est, absolute infinitum est: atqui per vos mortale, cuiusvè malitia, vel offensa nulla perfectissimorum actuum creatorum repetitione, & multiplex compensabile est: ergo infinitum absolute est: contra vos non finitum. Respondet Soar. disputatione 4. citata: offensam supremi generis esse offensam mortalis, licet finitam quare non possit æquari, & exhauriri finita quauis satisfactioe quantumuis repetita. Perstat tamen argumentum, cui nihil satisfactiois his verbis adhibetur: licet enim supremum genus nequeat ab inferiori æquari in perfectione physica, aut metaphysica, siue in prædicatis essentialibus, inquiri an ita dicat offensam mortalis esse in supremo genere offensa, vt creata quauis satisfactio quantumuis multiplicata inferior, & inæqualis sit æstimatione morali si hoc dicat petit aperte principium reddens pro ratione, & solutione conclusionem, cuius oppositum argumentum factum euincit.

3 Sin autem dicat nullam aliam offensam factam contra quamuis aliam personam creatam æquare offensa mortalis magnitudinem, ac proinde hoc esse supremum offensa creatæ, & infinitæ genus bene philosophatur, inde verò solum ostenditur non posse æquari eius magnitudinem ab offensis aliis erga creaturam, quamuis admiffis: neque satisfactionem pro his posse esse satisfactionem pro mortali, non autem non posse euacuari mortalis offensam ab illa satisfactione finita quantumuis repetita, & pene infinita multiplicata: quod satis nostro instituto erit. Quin licet offensa & dehonoriatio facta à vilissimo suo principio summo terræ totius imperatori superiori ex genere suo sit aliis, quæ reliquis hominibus fieri possunt, tamen multiplicatis summitatibus physicè maioribus, egregiis quæ erga imperatorem illum obsequiis tandem æquari satisfactioibus offensa illa possit: ergo, licet offensa mortalis sit in supremo genere offensa, si tamen finita sit, perfectissima contritione, egregiisque aliis erga Deum obsequiis pluries, & pluries repetitis æquæ à pura creatura poterit compensari, etsi vnicò,

vel aliquibus contritionis actibus non esset satis, cuius oppositum ostendam certam. sequenti & quæst. item sequenti. Etenim non ita in rebus quæ superiores ex specie sua sunt in ratione valoris, & æstimationis moralis censendum est, atque in physicæ, vel metaphysicæ superioribus, quorum perfectio nunquam physicæ, aut metaphysicæ adæquatur, etiam à pluribus speciebus, vel generis inferioris. Licet enim argenti valor moralis ex specie sua maior, superiorque sit quam æris, maiorque auri, quam argenti, & equi maior, quam auri, & hominis maior quam equi tamen inferioris multiplicatione æquatur valor, & æstimatio moralis superioris quare licet admittamus offensam mortalis finitam esse in supremo genere offensæ, etiam respectu creatæ satisfactionis, huius repetitione majori, & maiori moralis eius valor, & æstimatio æquari tandem poterit, ac proinde satisfactio pro mortali à pura creatura exhiberi absolute poterit, quin ad eam exhibendam necessaria fuerit incarcerationio.

4 Dices cum Salmantini R. mortalis offensam in supremo, & inæquabili genere ab illis creatis satisfactionibus esse, inde colligi: quia nulla leuia peccata etiam venialia omnia malitiam mortalis æquare queunt cum tamen plura opera bona, & plura possint tandem bonitate æquare actum virtutis perfectissimum, unde claret maius quid esse mortale quodvis in genere mali, quam actus virtutis cuiusvis in genere boni, ac proinde nullis virtutum satisfactionibus æquari, compensatione posse: quia res superiores, nedum supremi, ordinis, in morali æstimatione rebus vllis ordinis in eadem morali æstimatione inferioris æquari nequeunt, vt fama, vel vita diuitiis omnibus: quare neque illius læsionis omnibus potest fieri satis: ac proinde qui aliter nequit famam, vel vitam, quam læsit, diuitiis datis reparare non tenetur, iuxta communem Theologorum; sed tamen, vt dixi licet verum hoc habeat in ordine ad prædicata metaphysicæ & physicæ, in ordine ad moralem æstimationem locum non habet, vt constat exemplo dato auri, & argenti, atque alio visio nis intuitus Dei quæ, physicæ perfectior, ac moraliter æstimabilis est, quam sit quiuis dolor, & cruciatus æstimabilis in genere mali: & tamen vt bene Salas. 1. 2. tom. 2. tract. 13. disp. 16. num. 29. & Lugo disp. 5. sect. 3. num. 22. æstimabiliores moraliter sunt cruciatus æterni in genere mali, quam visio Dei per horam, imo & per diem, vel etiam mensem vt puto, ac proinde huius carentia eligi prædenter deberet, vt cruciatus æterni vitarentur. Item odium Dei genus mortalis est: & tamen in morali æstimatione pluribus furis, & furtis poterit æquari, vt bene idem Lugo: atque vt exemplo Recentiorum pro primo discursu inducto vtar, actus charitatis, qui perfectissimus ex actibus virtutum est, & supremus in mortalis bonitatis æstimatione, multitudine actuum etiam leuium, virtutum inferiorum potest in bonitate demum æquari. Denique exemplum de fama, & diuitiis nihil præstat. Non enim ideo nequit famæ iactura toris diuitiis reparari, quia ex inferioris ordinis in æstimatione morali sunt, sed quia ad reparandam, pristinoque suo loco reponendam famam sunt inutilis, atque ideo illis nemo famam à se læsam tenetur resarcire: sicuti quia laudare proximum de fortitudine, ac de temperantia, quem Iudæum vel ignobilem dixisti, inutile quid, vt famam generis repares omnino est: ita laudare non teneris, licet sit in eodem genere famæ laus illa. Id quod à Lugo anrea alibi à se dissectum R. restantur. Mellem videre, quam credere difficultatum solutiones.

5 Sed ille primus discursus solidior est ad probandum mortale esse in supremo genere mali, quam sit bonitas cuiuslibet virtutis perfectissimæ ad satisfaciendum; Si enim quid præbeat, probat offensam R. gi, imo, & cuius factam grauem in supremo genere esse, & pro qua nullis obsequiis possit satisfieri. Etenim nullis leuib. offensuiculis quantumuis repetitis ad

R. P. Christoph. de Ortega, de Dei incarnatione.

malitiam grauis offensæ in hoc discursu peruenitur, atque ad rationabile graue odium Regis incurrendum: pluribus autem, & pluribus obsequiis leuib. continuo ferè præstitis æquari potest bonitas grauis quantumcunque obsequiis, atque ad rationabilem Regis amicitiam perueniri. Deinde licet venialia plura, nequeant mortale minimum constituere quia eorum malitiam totales sunt, & inconiungibiles, vt in vnum quoddam consentur; aut æquari pluribus venialibus mortalis malitiam mihi dubium non est, etsi nequeat eius mortalitas, ac dignitas amicitiam Dei illis quantumuis repetitis æquari. Si enim dignitas formalis peccatorum, quæ actionis mortalitatem, Deique inimicitiam consequitur, & indiuidue comitatur à valore demerituo actionis illius, qui malitiam præcedit consequitur, diuidatur (vt diuidi debere ostendimus disput. 2. quæst. 2. certam. 2. ostendemusque disput. præsentis quæstione secunda, certamine secundo numero quarto.) inueniat, valorem peccatorum merituum mortalis, ac proinde eius malitiam, merituum valore peccatorum, & malitiam venialium plurium æquari posse, vt disputatione secunda, quæstione secunda citatis certamine quarto, numero quarto, docebamus licet formalis dignitas peccatorum quæ mortalitatem, & inimicitiam Dei consequitur, & comitatur æquari venialibus omnibus minime possit: Cum autem merituum peccatorum valor mortalis malitiam, qua malitia est, etiam per aduersarios consequatur, infertur venialia illa, quæ coniunctim tantum peccatorum merentur quantum meretur mortale illius malitiam æquare, licet quia venialium malitiam non coniunguntur, vt vnam integram totalem, neque mortalitatem ipsius, neque Dei inimicitiam, quare neque formalem peccatorum dignitatem pertingant. Et quidem miraculi instar esset additione assis vnus, quo materia grauis furti ad mortale completur adeo furti malitiam crescere supra veniale furti, tantum illo asse minoris, vt additis supra hoc reliquis innumeris venialibus furis illius imò & hominum reliquorum æquari tamen in morali æstimatione malitia ipsius nequeat. Denique supremus hic malitiam mortalis gradus, quique nullis quæ creaturæ, aut eius demum satisfactionibus euacuari nequeat fundandus est, vel ex accremento malitiæ, ab infinitate excellentiæ, & dignitate Dei offensa, & vitiate ipsum offendentis creatura, quod tota disputatione secunda subuertimus, vel aliis rationibus, quas tota disputatione secunda à fundamentis impugnatas deiciemus.

CERTAMEN III.

Celebris vltior nostri Vasquez probatio instauratur.

1 **M**ltro argumentum R. ex instante præcepto charitatis: tunc enim actus est, non esse omissionis, seu peccati, ac proinde tam in illo complacet Deus, quam displicet in peccato. quod ommissio actus charitatis est. Si quidem hæc displicentia est velle, vt non sit ommissio, quod ipsum est velle, & fit actus charitatis. Responderetur enim facile: tunc non tantum placere Deo actum charitatis secundum bonitatem intrinsicam actus, quod probandum erat; sed quatuor priuè malo peccati, quod habet quiuis actus præceptus etsi indifferens de se sit, atque à peccato præstetur, imò & actus indifferens non præceptus, si eo actus prohibitus impeditur, atque eius ommissio præcepta apponatur. Arguo igitur Secundo celeberrimo, atque efficacissimo argumento nostri Vasquez, vbi ex æqua sua celebri doctrina 1. 2. tom. 2. disputat. 203. ac læpius alibi de formali sanctificatione nostra per actum contritionis, tanquam per formam se ipsa forma-

Z z licet

liter sanctificantem, sit pro satisfactione maculae, & offensa mortalis arguebat. His potest satisfacere pro offensa mortalis, qui potest libere facere, quod satis est, ut cesset offensus, maximè si ita illud facere potest, ut necessario cesset: sed purus homo facere potest libere, quod satis est, ut necessario cesset offensus Dei ob mortale: ergo potest purus homo satisfacere pro pro offensa mortalis. Probat minor: Homo auxilio gratiae Dei tantummodo praepositus, quo in casu, & purus homo est, ac non supponitur iustificatus, neque mortale expulsum per gratiam, aut habitum charitatis, cuius loco auxilium Dei extrinsecum ad elicendam contritionem solummodo erit) potest liberè elicere actum perfectae contritionis, quo necessario cesset macula, & offensa mortalis, quae à macula re ipsa saltem, non differt, ac eo ipso, quod possit liberè facere quod satis est, ut cesset malitia, & offensa mortalis necessario potest liberè facere, ut cesset necessario offensus Dei ob mortale. Quod autem posito actu contritionis cesset necessario macula, & offensa mortalis suadet: quia actus contritionis est forma per se formaliter sanctificans, ac iustificans praesertim si liberè elicitur, ut latius probauit cum Vasquez contr. de gratia iustificante, atque ad praesentem saltem difficultatem Theologi omnes iam supponunt, ac proinde actum contritionis saltem liberè elicitem abque gratia habituali praesupposita, ut in casu dicto, cum ad contritionis elicentiam auxilium Dei extrinsecum solummodo sine habitu charitatis praecedat, esse etiam eiusmodi contritionem expulsum peccati. O quot, quantaque mouent R. Complutenses, ut argumenti huius impetum desectant, idem declinent.

2 Respondet primò, contritionem suapte natura, non autem, ut liberè elicita ab homine sanctificare, maculamque, & offensam mortales abolere: quare non satisfactorie, sed per naturalem formalem oppositionem cum peccato: Siquidem satisfactio dicit libertatem satisfaciens contritioni autem ex formali oppositione, quam habet cum mortali, & si sopito in funderetur, & sanctificare, & peccatum expellere eodem modo competeret: cum tamen sopiti peccatoris satisfactio non esset. Faeor satisfactioem moralem humanam, & ciuilem dicere satisfaciens libertatem, & rei exhibitionemque debitum, & offensus extinguatur, licet ad satisfactioem per modum formae voluntarium, nondum liberum, satis esse nonnullis videatur: atqui licet contritio sine libertate elicita utrumque non habeat, alterum tamen natura sua habet, nempe debiti extinctionem per te; Ergo si accedat libertas in eius exhibitionem utrumque habebit, eritque humano, & morali modo satisfactio. Vide quantuli à tuo Magistro Vasq. discordes. Debebat Petrus Ioanni centum, nolebat soluere: soluit autem eo tenente ex eius bonis Prosper satisfactum est Ioanni, atque ita plenè, ut deinceps cum Petro de satisfactioe agere lite nequeat: & tamen Petrus non satisfecit. An inde inferes: ergo centum redditi debito aqua satisfactio non sunt? Minimè quia, sicut centum redditi Petrus non satisfecit, non fuit ob defectum & curritatem rei exhibitae, sed liberae voluntatis Petri, ut exhiberetur, sine qua moralis, & humana petri satisfactio non erat: esset tamen, si eius voluntas libera accederet. Ecce nostrum casum, tuumque argumentum de contritione necessario, vel libere elicita. Urgetur: quia contritio non ita cum peccato pugnare credenda est, hominemque sanctificare, quo formae physicae aliis, ac fortasse gratia habitualis peccato, repugnat; Sed morali honestate & bonitate etiam sua; illud enim *Ego diligentes me diligo*, quod Christus aiebat, mortuum, non physicum physicam ut exigentiae contritionis, ut oppositum odium Dei pellatur ac cesset, sed moralis obligationis qua à liberè, & meritoie ipsum diligente ad odium, & inimicitias deponendas, atque amorem amicitiae erga illum apponendum cogitur Deus, aperte demonstrat.

3 Respondet secundo, ad moralem satisfactionem

non solum requiri, ut à satisfaciens exhibeatur libere, id quo debitum necessario extinguatur, ac cesset utcumque, sed etiam, ut id quod exhibetur quoque debitum extinguitur in estimatione valoris moralis aequalitatem habeat cum debito, seu offensa, quam de pellit: offensa autem mortalis depulsio per contritionem per formalem solum incompossibilitatem iustitiae cum macula, & offensa mortalis est, in quo genere expulsiōnis non arguitur aequa aestimabilitas, & moralis valor forme expellentis cum expulsa. Etenim forma nobilissima depellitur formaliter à vilissima, ut anima rationalis pellitur à forma cadaueris quare ex formali expulsiōne macula, & offensa formalis per contritionem formaliter iustificantem non arguitur aequalitas valoris, & bonitatis moralis cum valore morali malitiae, & offensa mortalis in genere suo: quin minoris valoris in suo genere contritionem esse, quam offensam in suo multo ex capite, & comparatione suadere conatur praesertim R. quos contra ea de re pugnabimus quæst. 3. ostendentes nullo ex capite plus valoris inesse malitiae, & offensa mortalis, quam bonitati contritionis. Nunc autem sic generatim impugno. Primo ex eo, quod numero sine dicebamus: scilicet, contritionem non pure physice pugnare cum peccato, Deumque ad odium mortalis ante acti deponendum, amoremque amicitiae erga contritum apponendum cogere, sed valoris, & meritoie, quod esse nequit nisi habeat contritio aequam saltem aestimabilitatem bonitatis, & valoris morali cum malitia, & valore offensus mortalis. Secundo quod id quod exhibetur ab offendente ad offensum eodem modo est, ut eo exhibitio in nullo genere rationabiliter auersionis possit offensus manere rationabiliter auersus ab offendente, sit aequalis omni genere aequalitatis satisfactio offensa, sed exhibitio Deo offenso libera contritione perfecta à peccatore non potest Deo offensus manere rationabiliter auersus in aliquo genere rationabilis auersionis à peccatore illam exhibente. (alioqui possent in eodem contungi iustificatio, & rationabilis Dei auersio à iustificato) ergo contritione peccatoris sit Deo aequalis satisfactio offensa omni genere aequalitatis. Contra tertio: contritione libera peccatoris cessat offensa, & offensus Dei, quin aliquid illarum remittat, quod possit ea posita retinere, voca ergo liberam positionem contritionis satisfactioem, vel non ita voca, saltem euincitur, ut Dei offensa tota extinguatur, ac pereat, quin aliquid Deus formaliter, vel virtualiter remittat, liberam; puri hominis contritionem satis esse, ac proinde non esse necessariam incarnationem.

4 Si dicas offensionem Dei in peccatorem, seu Dei odium rationale tolli quidem, non autem ius ad obsequia, quod ex offensa illata à peccatore. Deus contra illud habebat: sicut, cum quis ex animo se reconciliat offensori in bonis honoris, vel pecuniae, & tamen ius reseruat, ut tantundem ipsi reddat, obsequisque ipsius honorem in pristinum statum offensor reponat contra eum quia id locum habet in nobis, qui actione offensoris laedimur, seu in Deo, qui nullatenus nostro laeditur mortali, ut R. Complutenses admittunt cuiusque offensus ob culpam, siue iusfensio rationalis in peccatorem est, ut supra ostendebamus. Praesertim quam quod, est locum id haberet, non esse plus offensa in mortali, quam obsequij in contritione, dicebamus modo, ac si pluries repetitur ostendimus cert. 1. & tota disputatione 2. ostendemusque solus quæst. sequenti denique ex hac solutione inferitur posse etiam remisso mortali quoad culpam totum reatum, sicut, & offensam mortalis perire, ut ostendebamus disputatione secunda quæst. cert. 1. ubi & illationis absurditatem monstrauimus.

CERTAMEN IV.

*Ultimum Recentiorum effugium
precluditur.*

1 Tandem data æqualitate bonitatis, & valoris in contritione cum malitia, & valore offensæ mortalis, respondent R. iidem non esse satisfactionem, quia, etsi æqualiter proflus solvatur offensa, per illam, ipsa tamen contritio datur à Deo, cui formaliter satisficit pro mortalis offensæ ratione auxiliorum quæ ex scientia, & intentione eiusmodi iustificationis, & expulsiōis peccati per contritionem donantur peccatoribus à Deo, vt doctè probauit Vasq. disputatione 2. cap. 7. numero 65, & 1. 2. disputat. 218. cap. 5. num. 49. expressitque Trident. sess. 6. cap. 8. dicens: *Gratis iustificari à Deo dicimur: quia nihil eorum, quæ iustificationem præcedunt, sine fides sive opera ipsam iustificationis gratiam promouentur.* Cùm ergo contritio ipsa sit formalis offensæ expulsiō, deturque peccatori ratione auxiliorum à Deo offenso, potius est dicenda offensæ remissio à Deo facta, quam à peccatore satisfactio: Quemadmodum si creditor centum det, vt illi totidem soluas, non tu soluis, sed ille remittit, & qui totidem dat tibi, vt equum ab ipso emas, equum tibi, non vendit, sed donat. Confirmatur: quia creditor qui dat id quo alicui pro illo satisfacere, si id debitor donaret, dubio procul remittit debitum: atqui Christus, quia nobis donat meritis suis iustificationem, quatenus donat nobis auxilium gratiæ ex scientia, & intentione ipsius, dicitur pro nostris peccatis, & officiis satisfacere: ergo cum eis eadem scientia, & intentione ea donat Deus offensus peccatoribus dicendus erit donare contritionem, & iustificationem, atque illis offensam remittere. Deficit ergo contritio peccatoris à satisfactio, quia in ea est remissio Dei offensi, qui illam donat: hæc porro solutio est sententia hac in re Caietani citati quæst. 1. cert. 2. num. 1. qui idèd purè creatam compensationem mortalis à satisfactio pro illo excludit quia non ex propriis compensantis, sed ex bonis fieret creditoris.

2 Sed certè, licet ratione auxiliorum ex ea scientia & intentione à Deo peccatoribus obuenerint iure dicatur dator contritionis quantum ad moralem æstimationem, nostramque debitam gratitudinem, non secus, ac qui gnauo debitori suo, atque industrio aliquid daret, quo negotiaretur ea intentione, & scientia, vt partis negotiatione illa pecunias ipsi solueret, & pecuniam negotiationem partam, & æs solutum in morali æstimatione, & quoad debitoris gratitudinem donasse dicendus foret, tamen sicut debitor non pecunia donata in se à creditore, sed per illam, & suam industriam parata debitori ad æqualitatem compensans, ipsi solueret, atque ex rigore etiam iustitiæ satisficeret, quin remissio debitoris intercederet, vt ex iidem Recent. notabamus disputatione prima, quæstione tertia, certamine primo. Ita etiam cùm Deo offenso peccator, non eo quod in se formaliter, ac non in radice solum ab ipso recipit, nempe auxilio gratiæ, sed contritione quæ solum datur in radice, atque ex eo, quod in se datur nempe auxilio, & nostra industria paratur, compensat offensam, satisficit ad æqualitatem, quin Dei remissio formalis, & in se intercedat, quæ satisfactio ex iustitia adhuc in sententia Recent. possit obesse. Accedit, quod nec Christus, eiusque humanitas, cui ex simili scientia, & intentione donata à Deo opera satisfactoria fuere, pro nobis satisfecisset, neque nos, pro peccatis peccatorum bonis vllis operibus, satisfacimus.

R. P. Christoph. de Ortega, de Dei incarnat.

3 Nec refert, Deum etiam immediatè concurrere ad actum contritionis; Nihil enim concursus Dei immediatus obest ad contritionis perfectæ compensationem sine remissionis mixtione, alioqui obesset perfectæ satisfactio Christi, neque magis præstat, quod contritio, vt pellat peccatum, exinguatque maculam, non expectet voluntatem, sed se ipsa necessariò pellat, vt Deus offensus, qui illam donare dicitur offensam remittere dicendus. Nam pecunia parata industria debitoris; quæ in radice etiam dicebatur data à creditore cum exhibetur se ipsa debitum extinguit, quin debitoris voluntatem expectet, vt notabam disputatione prima, quæstione tertia, certamine primo, & tamen nulla est in ea compensatione debiti remissio. Dices adhuc merum dicit distinctionem ipsius à præmio, & valorem ad illud: ergo satisfactio, qua talis debet dicere distinctionem ab extinctione debiti, & valorem quasi meritorium ad illam: neutrum autem est in contritione formaliter extingvente offensam; vt sic enim distinctio ipsius offensæ est, quare non diuersa, neque valor meritorium distinctionis esse potest, quin, & à se ipsa diuersa, sui que meritoria sit, quod implicat. Ergo qua formaliter offensam depellit, non est satisfactio. Sed negatur facile consequentia. Omnis enim satisfactio se ipsa est debiti extinctio, atque in re præsentis certius adhuc ex Recentiorum doctrina est. Cùm enim Dei offensa solum sit insensio, & auersio odiumque Dei rationale à peccatore; hocque solummodo, & necessariò causatur à sola malitia in genere causæ formalis obiectiue, appositione malitiæ peccatoris, sine vlla ratione demeriti, ad odium, & insensationem rationabilem Dei, sine posteriori voluntate causatur: cum tamen demeritum. Non minus exigat libertatem in retribuente ad poenam, quam meritum in præmiante ad præmium. Sola igitur formali expulsiōe malitiæ per contritionem, qua formalis ratio obiectiua odij Dei rationabilis cesset, eiusque insensio, satisfactio offensæ constabit, quin valor, & meritum contritionis expectetur: sicut neque ad offensam Dei valor, & demeritum peccati expectatur, sed sola formalis malitiæ positio.


4 Tandem solutionem hanc tertiam R. impugno: nam æquè dat nobis Deus ratione auxilij ex ea scientia, & intentione dati, contritionem qua meritoria, atque, quæ expulsiua peccati est, & iustificatiua. Sic enim ait Augustinus 7. de gratia & libero arbitrio: *Si vita bona nostra nihil est aliud quam gratia, sine dubio vita eterna que bone vite additur, Dei gratia est, quia gratis data est illa cui datur.* & Trident. sess. 6. capite decimo. *Tanta est Dei erga homines bonitas, vt eorum velut esse merita que sunt ipsius dona:* Ecce synonymis vocibus gratia Dei dicitur meritum cuiusvis operis, sicut gratia Dei dicitur iustificatio, peccati que remissio: quare non minus à Deo dari dicenda est contritio qua meritum, quam, qua iustificatio, & remissio peccati: aut quia ratione auxilij donati, ita dat nobis meritum, vt industriam, ac libertatem nostram non excludat meretur contritione, qua meritum est apud Deum donatorem, ergo, & satisfacimus Deo donatori offenso contritione, qua satisfactio, & expulsiō peccati est. Probatur consequentia; non minus obesse debet merito operis, quod sit datum à Deo, apud quem ipso meremur, quam satisfactio, quod sit datum à Deo cui satisficit opus, quo ipsi satisfacimus: sed contritioni qua meritum est, non obest, quod sit donum, & gratia ratione auxilij à præmiante collati, quia ita est donum, vt nostram industriam non excludat; ergo neque qua est iustificatio, & compensatio offensæ, oberit modo donum esse Dei offensi, cum in ea elicienda, & exhibenda industriam nostram non excludat.

5 Dices, contritionem, qua meritum est, dicere intrinsece nostram libertatem; aut, qua compensatio formalis & expulsiō peccati, est illam non dicere;

Z z 2 sed

sed solam physicam formalem in impossibilitatem cum peccato: sed contra: quia discrimen hoc frivolum est, ut ostendebamus, cert. 2. n. 5. Secundò, contritionem non expellere peccatum, nisi, qua libera est, ibidem offendimus. Tertiò: libertatem ipsam contritionis, qua meritum, seu meritoria est, dat nobis Deus ratione auxilij, & eandem dat nobis, qua satisfactoria est. Ergò æquè est utriusque ratio: Imò physicam entitatem contritionis, quæ libera est, humanoque, & libero modo à nobis exhibetur, non aliter dat, quam ipsius meritum donet, qua autem physicè entitas est non dicitur dari à Deo eo modo, quo dari ratione auxilij à Patribus dicitur, ergò non est specialitas domi in contritione secundum physicam entitatem, sed qua liberè à nobis ex Dei gratia exhibetur; quare, & ut est satisfactio. Denique ne vocibus adhuc eludere argumentum possis, contra est: quia, ut profundè Sotus (cui, & nos controu. de gratia iustificante assentimur) nulla forma iustificatio sine habitus gratiæ, siue actus contritionis, nisi accedat libera retractatio peccati, peccatum expellit, quare iustificatio per contritionem perfectam, qua expulso, & iustificatio est, intrinsecè dicit libertatem peccatoris se contententis, æquè, atque meritum intrinsecè dicit merentis libertatem.

6 Hæc omnia contra eam solutionem R. dedimus, non qua ad eius doctrinæ confutationem necessaria sint, sed ne aliquid, quod tentarent effugis, aut impugnationis firmum, vel non præclusum maneret. Cæterum Recent. ratio satisfactio, de qua in præfati agimus, nihil obest. Et si enim donatio eius, quo satisfaciendum, soluendumque est debitori, siue in se, siue in radice donetur, sitque proinde virtualis debiti remissio, nequeatque ex eis fieri ipsi ex rigore iustitiæ satisfactio: aut satisfactio non è rigore iustitiæ, sed per æquiualentis, atque extinguentis debitum satisfactionem de qua nunc loquimur, non obest, quod fiat ex bonis creditoris: ac proinde, cum virtuali ipsius remissione, dummodo æquiualens offensa sit, quod ex sic à creditore acceptis exhibetur. Alioqui, neque Christi satisfacere æquè esse posset: cum omnia eius opera ex auxiliis ea scientia, & intentione datis à Deo fuerint profecta, ac proinde, & eo etiam titulo inter alios Dei fuerint; atque insuper totus eorum valor è dignitate per vnionem hypostaticam vnionis operantis ipsi formaliter obuenit, quæ contritioni, & operibus nostris inesse, quam malitiæ, & offensa peccati probandum iis recentioribus erit.



QVÆSTIO II.

De alijs titulis malitiæ mortalis, ut incarnatione ad sui satisfactionem opus habeat

¶ Vætionem hanc fecerunt iidem R. Salmantini, & Complutenfes proximè impugnati, qui Vasquiano argumento piè factò satisfacere conabantur, ut æquam non esse contritionis satisfactionem, quare, nec absolute satisfactionem offensa mortalis ostenderet, ex pluribus capitibus minus bonam, minusque æstimabilem, quam esse malum peccatum suadere tentarunt. vt generatim q. 1. cert. 1. num. 8. referèbamus Nunc autem ea omnia capite examinanda, atque inter se se comparanda sunt. Etenim, si æqualia esse deprehendamus, ac proinde contritionem æquam esse in bonitate, & æstimabilitate obsequij, atque peccatum mortale malum est in malitia, & odibilitate sua, satisfactio à pura creatura possibilis à firmiori consistet, constabitque necessariam ad eiusmodi satisfactionem incarnationem non fuisse, vt totis his disputationibus contendimus.

CERTAMEN I.

Quod contritio multis titulis debita sit Deo totidemque peccatum indebitum, nihil minoris valoris, & æstimabilitatis in illo, quam in hoc euincit.

1 Primum caput, ex quo R. præfati minus bonitatis, & æstimabilitatis in contritione libera peccati, quam sit in malitiæ, & offensa mortalis veniatur, erat: quod exhibitione contritionis à peccatore exhibetur, quod mille titulis Deo debentur: mortali autem agitur contra eosdem titulos, quibus Deo obsequij, ipsum colere, & amare, ac non contemnere pro vilissima creatura debemus, quam peccando prosequimur. Quam rationem prius tradiderat Vvading. d. sup. 1. num. 62. Idè enim mortale grauis offensa Dei reputatur, quæ contra tot, tantosque titulos agitur: obsequia vero virtutum quod leue, quia tot titulis debentur; siquidem magis dominum torqueret iniuria sibi à principio interrogata, quam seruorum reliquorum obsequia debita delectaret. Atque hæc sanè iam respiciunt non vnos physicos paræ creaturæ ad formaliter expellendum peccatum, quibus se se contententis libertas accedit, licet ita hæc essent, fiat à pura creatura satisfactio, vt quæst. 1. certam. 1. num. 1. & 2. ac tota ferè quæstione contendebamus. Sed valorem æstimabilitatis à formali contritionis oppositione cum malitiæ, & offensa peccati formaliter, non pugnet, eam tamen saltem repetitam non esse minoris bonitatis, & æstimabilitatis, quam malitiæ, & offensa sit peccatum: quare seclatè etiam satisfactio formali contritionis liberæ, esse valorosam, æquamque ratione valoris bonitatis, & obsequij compensationem peccati, sicut pecunia tantæ, tantæ debita, cui formaliter non opponitur æqua proctus compensatio est, si appendatur.

2 Probatum primò: quia debitum illud contritionis perfectæ, vel est obligatio ex parte nostra ad amandum Deum, siue ob eius excellentiam beneficentiamque, sicut ob eius in nos dominium, vel est potestas, aut ius Dei ad nos obligandos, vt ipsum amemus, & perfectè conteramur, vel solum est nobilitas obiecti formalis contritionis, seu charitatis, quæ in Deo motuum seu titulus est, vt ipsum amemus, ac de mortali ex eius complacentia conteramur. Non primum: nam pone curam frequentem, & communem, cum Deum amat peccator, atque ex eius charitate de suo peccato conteritur nullo extrane Dei præcepto contritionis, seu charitatis illius, imò neque attenda ab homine se contentent obligatione non secundum: quia, ex eo quod charitas & contritio possint deberi, exigique alio titulo à Deo, quam compensationis malitiæ, aut offensa mortalis, quousque eo titulo exigatur, illi non debetur, neque in eo soluendo impenditur; quare nec extensus satisfactio, seu compensationem debiti alterius, nempe malitiæ, & offensa mortalis: licet huic simul, & alteri debito, & obligationi satisfaciendæ simul, semelque exhibita contritio par non esset. Sicut vno scuto, cui duo debes, æqualitatem non solus: ergò manente alio, alijsvè debitis insolutis poterit contritio, licet mille titulis Deo debita, pro offensa mortali satisfacere, nisi aliunde minoris bonitatis, quam sit mortalis malitiæ, ac proinde minoris valoris, & æstimabilitatis esse probetur. Nihil ergo ex hoc capite minoritatis, & æstimabilitatis in contritione probatur, si ita tituli illi, ob quos debita Deo est, explicentur.

3 Dices solutionem vnus debiti pro alio in contritione respectu debiti, & titulorum, Dei locum non habere, quia titulo dominij excellentiæ, & bonitatis Dei contritio tota, quanta quanta est, Dei est ac sic, vbi primum existit; quare non potest non à Deo ad eius debiti solutionem tota tota acceptari: vnde nihil illius remanet.

maset, vt pro offensa mortalis Deo satisfiat. Hic, hic tē tam inde expectabam ergo neque purus homo potest pro macula, & offensa venialis satisficere contra tuam sententiam. Probo consequentiam. Totus totus valor contritionis iure supremi dominij, & excellentiæ Dei ipsi debetur, acceptaturque à Deo, fitque ipsius eo titulo vbi primū est: ergo nihil valoris remanet in contritione huic debito soluendo non impensum: ergo nec pro alio debito per ex quo quantumuis minut. venialis poterit contritione Deo satisficere: alioqui, si aliquid in ea remanet, quo pro hoc minuto debito satisfiat, non tota, vt asseras contritio quanta, quanta est, totusque eius valor in debito dominij, & excellentiæ Dei soluendo impensus est. Ecce debes Petro scutum, & assem: scuto solus scutum; an etiam, & assem? minime; quia totus scuti valor scuto soluendo impensus est; quare ei, & asse, seu terentio simul soluendo pax esse non potest, quantumuis minutulus asse, vel terentij valor sit; at per te totus contritionis valor titulo dominij, & excellentiæ Dei necessario impenditur, milleque alijs, vt ait titulus: ergo quantumuis exigua sit venialis offensa non erit in contritione ipsius valor, quo pro illa satisfiat.

4 Contra secundo: quia ex sic intellecta solutione inferitur nihil esse in operibus Christi, quo, non pro mortali quidem, sed nec pro veniali vno Deo satisfiat. Etenim, vt cum R. hisce docebamus 1. q. 3. cert. 4. omnia Christi opera, quanta sunt, Dei tota sunt ex debito supremi dominij: ergo nihil in eis valoris restat, vt pro venialis a huc, offensa satisfiat. Nec patet recursus R. ad infinitatem meriti, & valoris operum Christi ipsi enim ex Vaquez, nolque ostendimus citata quæst. 3. contra Soarium, rem, quantumuis infinitam, si vno titulo alicui secundum se totam debeat, non posse illi, alteri titulo simul satisficere, neque ad aliud aliud denuo soluendum eidem creditori obligari. Dices: titulos, quibus totus valor contritionis Deo debetur, atque debetur pro peccato satisfactio non esse iustitiæ, neque in eius materia: posse autem pluribus titulis non iustitiæ pluries totum operis laborem deberi singulis simul, eisque omnibus simul eodem valore satisfieri ostendimus eadem quæstione cum R. isdem in quacumque materia, & ex quacumque virtute non posse duplici titulo adæquate eodem valore satisfieri simul. Quid si admittatur oppositum ad præsentat solutio R. nam, etsi mille illis titulis, quibus Deo debetur puri hominis contritio totus eius valor impendatur, simul iuxta hanc doctrinam, impendi etiam ad mortalis offensa satisficere valeat. Contra denique: quia cum non minus requiratur valoris libri, ac non impensi in satisfactio rei debetæ credito: i, vt præmium ab ipso condigne mereamur, quam, vt illi pro alio quouis debito simul satisficiamus valorosè, fiet, vt si contritionis totus valor satisfactio obligationis ex mille illis titulis datur impendatur, non solum pro mortalis offensa satisficere non possimus; sed neque, aliquid mereri apud ipsum contritione valeamus.

5 Quod si titulos illos, quibus Deo contritio debetur non titulos iuris sed dominij, seu potestatis diuinæ, & obligationis nostræ inde data, sed titulos dignitatis motiuorum formalium, ob quæ Deo obsequi, colere, amareque ipsum debemus, iuxta tertium modum intelligent Recent. æque contra se sentient, si inde bonitatem, & valorem contritionis iudicent imminui. Primum patet. Nam ipsi disputat. 3. memb. 3. §. 3. num. 71. ex nostro Theodoro Peltano de satisfactio Christi conclusionem 11. §. ad secundum, & ex Lugo disputat. 6. sectione 1. num. 14. præter infinitum valorem operum Christi à dignitate personæ obuenientem, ac diuinam obinde motionem Dei ad omnia præmia possibile, maiorem valorem in illis, motionemque Dei ad eadem præmia recognoscunt, cum actus Christi virtutum nobiliorum, vt charitatis, sint, magisque placere aiant Deo, quam, si essent actus religionis, & eleemosinæ: atqui actus nobiliores titulum maiorem, seu digniorem habent quam ignobiliores, ideoque, valorosiores Deo; gratiores esse

Recent. probant: ergo in eorum doctrina maior dignitas motiui, seu tituli obiectiui virtutum non minuit actus sui bonitatem, & valorem, sed auget. Contra 2. quia ex sic intellecta solutione inferitur absolute actus virtutum nobiliorum minus meritorios, ac satisfactorios esse, quam ignobiliorum: cum illi habeant titulum maiorem, seu excellentius motiuum, quàm ij. Contra rursus à prioribus: quia virtutum bonitas, & valor crescit per se, & natura sua ex maiori, & perfectione obiecti formalis, ac dignitate motiui: ergo implicat inde de crescere virtutum bonitatem, valorem, & æstimabilitatem, vnde per se, & essentialiter augetur; & quidem ex quibuscumque titulis, & obligatione, etiam obedientiæ, religionis, & iustitiæ, non minus, vel augeri potius operis bonitatem, & valorem, saltem accidentaliter, constans Theologis sententia est: cum sit maior conformitas eius cum bono virtutum, quos obligationem inducunt.

6 Quod si tandem titulos illos explicant beneficia, quibus à Deo præuenimur, indeque ortos gratitudinis titulos esse, sentiunt contra ea, quæ ex ipsis notabimus quæst. 1. cert. 1. Deinde: si non attendatur beneficia Dei, sed nobiliora pura ob solam Dei bonitatem conteratur peccator, illo actu beneficiis non satisficit formaliter: quare locus erit vacuus in valore ad satisfactio nem pro mortali. Tertio: conteratur ex bonitate Dei, quæ in collatis sibi beneficiis elucet, atque ex gratitudine, fitque beneficiorum compensatio formalis, certe illa, licet plura infinita simpliciter non sunt neque obligant, nisi, vt Deo peccatis non displiceamus, simulvè illi insens, non autem, vt referamus gratiam compensationis, cum nullo nostro opere egere Deus beneficis possit quare difficile, & raro erit actus noster satisfactio formalis rigorosæ, & debite compensationis, quæ in reddenda gratia totus operis valor infumatur, sed potius valor ex eo etiam gratitudinis motiuo exerefcit. Impendatur tamen: cum debitum simpliciter finitum sit, aliquid valoris referuari ad satisfactio nem pro mortali poterit silem in pluribus, ac pluribus contritionis, actibus: sicut in quouis bono opere, valore merituum referuari certum apud omnes, maxime apud R. hocce est, sed esto non referuetur: si pro beneficiis soluatur contritionis valor, non acceptat Deus eo titulo, sed titulo satisfactio nis pro mortali, vt certè potest; quod si contendens non posse non acceptare Deum pro beneficiorum compensatione recidis in impugnationes datas num. 2. & 3. Denique hinc etiam probatur non posse opera humanitatis Christi pro offensa, adhuc veniali, Deo satisficere: siquidem maioribus longè Dei donis præuentus operabatur in quibus sanctitas ipsa infinita humanitatis, filiatio naturalis Dei, & cætera recententur.

7 Iam illud de leuitate nostrarum virtutum coram Deo, & grauitate mortalis exemplo illo domini, & feruorum confirmatum, inane est: etenim negare virtutum actus, etiam cum à iustis exercentur, magnum aliquid esse, idem est, atque præcipuis Dei, gratiæque ipsius operibus magnitudinem denegare, quæ magni ab eo fieri præmij gloriæ æternæ, quo illa remunerat magnitudo demonstrat: cum tamen venialia, quæ leuia in genere moris sunt, æternam poenam non mereantur. Nec satis est, quod Recent. aiebant Salmantini: iustorum opera gloriam æternam absolute non mereri, sed sub conditione decessus in gratia: siquidem, & sic magnum præmium foret. Item: nec peccatum mortale, quod tam magnum per te in genere mali est, infernum, nisi sub conditione decessus in mortali consequendum, meretur. Tertio: conditio illa in alterutro ad meritum non est, sed ad præmij consecutionem à Deo præstituta: de se enim ac sine vlla alia conditione iusti opera gloriam de condigno, & mortalia infernum per æternitatem promerentur. At, inquit, id habere mortale secundum se, non autem virtutis actum, nisi ad iustitiæ & adoptionis gratia, quæ opus ad tantum eleuat præmium, quæque comparatione excellentiæ Dei offensi minutulum quid est. Sed neque ego contendo boni

operis valorem secundum se præcisè sumpti æquare valorem, & malitiam mortalis, sed vt coniuncti cum gratia habituali, cumque æternum gloriæ pondus in nobis operatur: quia filij adoptiui Dei opus est, & eaque gratia in ordine supernaturali, tam operans, quam ipsius opus constituitur, cuiusque supernaturalium, rerum præmio pro operis magnitudine proportionatur. Vnde constat ad paritatem de iniuria & obsequiis seruorum ad dominum creatum, disparitas. Nam illi serui tantum infames sunt; filiorum autem Dei seruitus nobilis, filiationem Dei adoptiuam non excludens, quæ nos, licet ex affectu, filiorum naturalium loco reputat, atque, vt talis à Deo tractari, magnique fieri, tam nos, quam nostra opera faciat, quamquam, & alia adhuc ad sit disparitas. Quod nimirum ea locum habeant in ordine ad offensam & iniuriam, quæ propria offensa & iniuria sit; non autem in iis, quæ solum habent rationem infensionis, aut complacentiæ, vt vitia, ac virtutes nostra respectu Dei. In iis enim titulis vndecumque consideratis, siue ex parte Dei siue aliunde, ex quibus violatis crescit malitia peccati, ex eisdem seruatis, siue attentis virtutum exercitio æquo gradu huius exercitij bonitas, & valor excrescit.

CERTAMEN II.

*Nec quia minus meretur, quam demeretur
mortale minus bona est contritio, minus
que æstimabilis illo.*

Aliter minus valoris, bonitatis, ac æstimabilitatis in contritione, quam sit malitia, & æstimabilitas mortalis fuaserunt sibi citati Recentiores quia, inquit, meritum, & demeritum operum consequitur eorum bonitatem, & malitiam: vt quo melius, vel deterius sit magis mereatur, vel demeratur omnium sententia: atqui contritio, perfectissime etiam, non tantum in suo genere præmij meretur, quantum mortale supplicij: ergo, neque tantam bonitatem, & æstimabilitatem in suo genere habet, quantum malitiam, & æstimabilitatem in suo habet mortale. Minorem probant: nam, licet contritio formaliter, & physice, tam bona sit, quam malum mortale, quia, sicut hoc omnem Dei amicitiam abolet formaliter, ita & illa omnem Dei inimicitiam formaliter depellit; at in genere meriti contritio non meretur vllam amicitiam Dei, neque cessationem omnis inimicitia; hanc enim, & illam se ipsa formaliter ponit, se autem ipsam mereri proprie nequit. Insuper non meretur omnem visionem Dei possibilem, neque omnia dona, & beneficia Dei, sed vnum, vel alterum visionis gradum, vnum, vel alterum Dei beneficium, ac donum. Mortale vero demeretur nobis proprie omnem Dei amicitiam, omnes gradus gratiæ visionis Dei, eiusque reliqua omnia dona, & beneficia: cum enim mortale dignum sit odio Dei, digni sumus per illud, quo videlicet Dei inimici constituimur, qui enumeratis omnibus, atque vniuersim omni dono, ac beneficio Dei prorsus priuemur. Sed certe hac doctrina probabitur, nec posse satisfieri ab homine valorosè pro iniuria facta Dynaste v.g. odio in illum: quandoquidem plus illo demeremus apud eum, nempe omnia beneficia, quæ ab ipso obtinere possumus, quibus per odium in ipsum digni reddimur, qui omnibus priuemur: per amorem vero, amicitiam, obsequia vè alia, non meremur ea omnia, sed præmium dumtaxat determinatum: ergo maior est malitia, & æstimabilitas in suo genere in odio, & inimicitia contra Dynastam, quam sit bonitas, & æstimabilitas in amicitia; & quibusvis erga ipsum obsequiis, quare valorosè nequit pro odio in Dynastam à nobis satisfieri, si quid tuus discursus probat.

2. Respondent: ad æqualitatem meriti obsequij cum demerito odij ac proinde bonitatis amicitia odium beneficia, quam, ad quæ ius dare amicitia possit; cum autem opera in gratia, Dei que amicitia facta ius nobis dare possent ad maiorem, & maiorem Dei gratiam, & visionem, ac cætera omnia præter auxilia, eisque omnibus nos demeritorie priuet mortale, non autem ea omnia mereatur contritio, sed solum aliqua in gradu determinato, sit, vt plus demeratur mortale, quam contritio mereatur, sitque hæc propterea minus bona, quam malum mortale, ac proinde minoris æstimabilitatis, nequeatque valorosè pro mortali satisfacere. Sed contra primo; quia amicitia cum Dynasta, ius dat non ad bona ipsius determinata solum, sed ad indeterminata generis cuiusvis, quibus illam, & obsequia erga ipsum præmiare potest de condigno, maiora, & maiora, quibus omnibus odium, & inimicitia prorsus nos, & condignè priuari: amicitia vero, & obsequium erga ipsum ea omnia non meretur. Dices: hæc pugnat. Nam statuitur amicitia in Regem ius dare posse ad maiora, vel maiora præmia ipsius, quæ omnia demeratur odium in ipsum; & tamen negatur ius dare, seu mereri de condigno posse amicitiam, & obsequia maiora, & maiora præmia à Rege contra: quia hæc ipsa repugnantia est in amicitia Dei, & mortalis demerito. Affert enim amicitiam Dei maiorem, & maiorem gratiam, & gloriam promereri posse, eisque omnibus condignè nos priuari ob mortale. Deinde contritionem, seu amicitiam Dei non posse mereri de condigno, nisi gratiam, & gloriam in gradu determinato, quod pugnet cum primo: tuæ ergo doctrinæ, & solutionis repugnantia est. Dices: non esse repugnantiam: quia maior, & maior gratia, & gloria non cadit sub meritum amicitia vnius actus, sed plurium & plurium, actuum, solumque dici actu vnico contritionis non promereri nos ea omnia, ad quæ amicitia pluribus actibus ius possit nobis dare; cum tamen mortale quoduis ea omnia nobis demeratur: quod satis est, vt maioris malitiæ contineatur, quam sit contritio, seu charitatis bonitas. Sed contra: quia eodem modo intelligam ego instantiam factam in odio, & amicitia Dynaste: vt hæc minoris bonitatis sit, quam illud, minorisque proinde valorosè satisfactiois pro illo. Secundo: saltem plures, & plures amicitia actus dare ius possunt ad ea omnia, quæ demeretur mortale, ex quo magnitudo malitiæ, & valoris penultima est per te ergo saltem pluribus, & pluribus contritionis, & amicitia actibus poterit à puro homine pro mortali satisfieri.

3. Contra: 2. principaliter quia mortali non reddimur digni tot poenis posituius, quarum priuationis meremur per contritionem perfectam, & amicitiam Dei; amicus enim perfectus de condigno meretur omni poena, & supplicio Dei carere: ergo tuo supplicio inuerso, contritio maioris bonitatis est, quam sit malitia mortalis: vel saltem, si mala poena positua, quam meretur mortale, cum bonis præmij, positui, quod meretur contritio, malaque item poena negatiua mortalis cum bonis præmij negatiui contritionis componas, æquales in merito, & demerito contritionem, & mortale reperies: quare, & in bonitate, & malitia, atque æstimabilitatis valore, si meritum bonitatis æquo gradu, & malitiæ demeritum, æquo etiam gradu, respondeat. Totus ergo argumenti tui, contra nos, nostræque similis argumenti contra te regectionis parallogismus in eo stat, quod præmium posituum contritionis cum negatiuo mortalis præmio, vel poena supplicio, componis: Nos vero contra præmium posituum mortalis cum negatiuo contritionis componimus: vnde alter contra alterum oppositam prorsus conclusionem eodem robore euincit si autem, vt deberet, posituum vnius præmium condignum compositio alterius, vel negatiuum cum negatur, vel vtumque vnius cum vtroque alterius coniunctum componatur, neciter contra alterum probat. Sed dices: per nos disputat quæst. 2. c. 2. num. 4. mortale nos inimicos Dei constituit.

tuit, reddique dignos omnibus malis, etiam positivis, quæ Deus inimicus potest, ac velit nobis infligere; atque adus contritionis, seu amicitia Dei non reddit nos dignos omnibus bonis, quæ Deus potest, ac velit nobis concedere; ergo facta etiam comparatione, præmij positiui condigni contritionis, & supplicij condigni positiui mortalis maius est demeritum in mortali, quam meritum in contritione: ac proinde minus erit bonitatis in contritione, quam malitiam in mortali: cum certum sit eo gradu esse in actibus humanis bonitatem, & malitiam, quo est meritum, & demeritum eorum.

4. Argumentum hoc ex nostris principiis vnicè, ac solide deductum ex eisdem solum diluendum solida est; duplicem distingue in actu contritionis dignitatem, acque in mortali etiam duplicem; alteram formalem, & status, quem offert subiecto, alteram valoris & propriè meriti ac demeriti: quas formalitates inter se distinguere debere satis multis probabam citato cert. 2. a num. 2. Rursusque probò. Quia præmij, & supplicium condignum valori propriè demeritui, vel meritiu operum respondens, potest à iudice in aliud æquale commutari, quo exhibitio non maneat ultra debitum pœnæ subeundæ, neque obligari præmiandi in præmiante qui tantundem benemerito dedit: ast pœnæ quæ formali dignitati mortalis responderet, nequit à Deo ita in aliqum commutari, vt non maneat ultra illi subeundæ ex parte sua obligatus reus, & expositus, quamdiu inimicus Dei manet: Tum quia cum sit omnium bonorum Dei priuatio, & omnium malorum, quæ ipse velit, inflictio nequit esse aliud supplicium, in quod commutetur. Tum quia quoad peccatum mortale, eiusque macula adiunt peccatori nequit non obnoxius reusque illius pœnæ esse. Secundo; quia supplicium eiusmodi infinitum est, cum sint mala, quæ Deus potest inimico si velit infligere, infinita, bonaque, quibus priuare potest non pauciora; quæ valori propriè meritiu finito mortalis respondere nequeunt, minusque æqualiter mortalibus omnibus, & singulis, siue maioribus, siue minoribus: quia sicut meritum omnino præmij possibilis infinitum est, & demeritum omnis pœnæ possibilis infinitum erit, & quod se maius in eo genere non pariat; cum tamen demeritum proprium maius in vno mortali, quam in alio de fide sit.

5. Ex hoc fit. 2. magnitudinem malitiam, vel bonitatis actuum non esse taxandam ex magnitudine dignitatis formalis, seu status, in quo amicitia, vel inimicitia Dei iustum, vel peccatorem constituit ad bene, vel male, siue priuatiua, siue positiua à Deo amico, vel inimico habenda: cum enim mortalia alia aliis grauiora esse, ac peiora de fide sit, atque dignitas formalis, seu status inimicitia Dei, quantumvis minimo, mortali, dignos nos formaliter efficiat, qui omni Deo dono, ac beneficio priuemur, ac non sit aliquid amplius, cuius vteriori priuatione dignos nos grauius mortale constituat, si ex formali dignitate status ad plura, vel pauciora mala à Deo habenda malitiam magnitudo, taxetur, mortalia omnia æqualis malitiam habenda erroneè erunt solum ergo taxanda est bonitas, vel malitia nostrarum actionum à posteriori ex præmio, vel supplicio proprio, quod responderet merito proprio valoroso; non autem dignitati, vel indignitati formali status amici, vel inimici: Quare licet minus dignitatis, seu ius ad pauciora Dei dona det nobis contritio, qua, formalis dignitas est, & status amicorum Dei, in quo nos collocet, quam mortale ad subeundam à Deo mala plura ratione dignitatis formalis, & status inimicitia Dei, in quo nos constituit; dum tamen merito propriij, & dignitatis valorosæ ad præmia, vel supplicia à Deo habenda, non sit inæqualitas sed æqualitas æqua erit in contritione bonitas, atque est in mortali malitia, si autem inde taxetur pœna, vt taxari in mortali debet perpicuum fiet quanto iure noster Salas l. 2. q. 87. tractatu, 23. disp. 15. sect. 7. peccato mortali nullum demereri gratiam habitualemente quantamcumque

præhaberet, sed in gradu determinato maiori, vel minori pro mortalibus maiori, vel minori grauitate: quod intelligendum est de valorosa, ac meritiua, non de formali pœnæ dignitate. Vnde si hæc abesset, atque item formalis physica pugnat mortalibus cum gratia vteriori, ac intensiori mortali, delinquens gratia omni expoliandus prorsus non esset. Vidi Salmastrinos R. plura quam fortia huic nostris, Salas doctrinæ opponere, quæ ex distinctione dignitatis formalis, & de meritiua, mortalis facile diluuntur.

6. Quoad priuatiua vero damna, quæ affert mortale aduerte, priuationem gratia, & visionis Dei non esse pœnam respondentem, adhuc dignitati formali, & status peccati mortalis cum enim vtraque iustificet, iustitiaque contradictoriè pugnet cum mortali, eiusque macula in communi, etiam Rec. opinione mortale; qua tale, & inimicitia Dei formaliter est, erit priuatio omnis gratia, & visionis Dei se ipso; quare ad harum priuationem dignitas formalis esse non potest, quin ad se ipsum dignitas formalis sit, quod implicat. In opinione autem in qua gratia, & amicitia Dei non ita strictè pugnat cum mortali; quam falsam iudico ad earum omnium priuationem dignitas formalis mortale erit. Deinde cum Paulus, Augustinus, Patres salij, & concilia passim valorem, & potentiam gratia præ nostra ad peccatum commendent, qui fieri potest, vt nos tantum malum operari possimus, quantum bonum gratia in nobis nequeat operari. Tandem valor physice æqualis est in contritione, atque in mortali; cum æquè mutus se physice expellant per hoc; ergo accedens contritione libertate, qua physice ipsius valor transeat in mortale satisfactionis æquus erit, etiam moraliter quemadmodum valori intrinseco, & quasi physico argenti accedente libertate, qua in debiti solutione exhibetur valor ille, quasi physice æqualis, transit in valorem satisfactionis debiti.

7. Video hanc eandem Recentiorum doctrinam impugnatam à Ripalda tom. 2. l. 4. disp. 97. sect. 1. num. 8. discurfus præfati fallaciam ostendente. Primo quia nullo actu perfectissimo iustus potest condignè mereri hyposthaticam vnionem vt isti fatentur, & tamen illa carere per veniale leuissimum dignus redditur homo: quia, qui in aliquo amicitiam, etiam leuiter laedit, dignus est carere strictissima, & summa amicitia Dei, quæ in vnione hyposthatica pugnat cum quauis leuissima amicitia offensione reperitur; & tamen in veniali non est maior malitia, & offensa, quam bonitas in actu perfectissimo virtutis. Mitto, secundam, & tertiam Ripaldæ, impugnationem, quibus non multum fido. Impugnat quartò num. 13. quia ad æqualem satisfactionem mortalis satis est bonitas operis valeas extinguere offensam, & inimicitiam cum offenso; ergo ad satisfactionem æqualem pro mortali, opus non est, vt præterea opus satisfactorium det ius, & dignitatem operanti ad amicitiam cum Deo, & ad omnia bona, quæ Deus potest amicis communicare, id enim amplius multo est, quam ad æqualem satisfactionem requiratur. Dices non posse offensam remitti sine eo quod amicus Dei fiat offensus per iustitiam, & sanctitatem, dubium tamen hoc pluribus est, & cuius oppositum suadent exempta ex humanis petita, probatque Ripalda citato tomo disp. vltima. Secundo actus iusti grauiam, & amicitiam Dei formalem merentur. Re-

liquas Ripaldæ impugnationes præterea: hæc siquidem efficitiores mihi visæ sunt.

CERTAMEN III.

Alia pro impossibilitate satisfactionis à pura creatura diluuntur.

Ices 1. contritione exhibetur Deo satisfactio pro mortali, ergo, cum hæc de facto fuerit à pluribus exhibita Christus Dominus de facto non satisfacit pro omnibus mortalibus omnium, licet pro his, qui gratia à Christo pro merita in sacramento sine contritione iustificati sunt fecerit satis. Hoc autem videtur non admittendum. Respondetur non esse in ea consequentia magnum absurdum si de satisfactione formali, & proxima de facto, ac non ex rei natura sit sermo; quia enim hominibus conuenientius fuit, ut proprio actu, & contritione de peccatis suis iustificarentur, licet in operibus Christi esset valor, ut erat, ad satisfactionem formalem proximam pro omnibus omnium hominum peccatis, non tamen ea obrulit pro omnibus Deo in proximam formalem satisfactionem sed in remotam, ut eis nimirum mereretur auxilia, & habitus ad contritionem qua de facto formaliter proximè satisfacient plures, ratione quorum in radice, ut dicebamus ipsa eorum formalis satisfactio proxima Christi etiam esset, ac reputaretur, sicque à Deo Christi satisfactio pro illis acceptata est sine vlla satisfactionis Christi injuria, minori de æstimatione. Secundo negatur consequentia in opinione communi de iustificatione per solam gratiam habitualem, cum enim hanc nobis omnibus Christus suis operibus fuerit pro meritis, atque hæc ab habitu charitatis, in communi etiam opinione sit indistinctus, proprii naturæ ad contritionem, se conterenti inhærebit; quare, & formaliter proximè ante illam peccatum mortale diluat, ac proinde Christus Dominus omnibus satisfacientibus formalem proximam mortalis compensationem donabit, & pro omnibus formaliter proximè satisfacit. Neque vero video, qua alia ratione Christi satisfactio proxima fuerit Deo pro omnibus de facto exhibita; si enim secundum se sumpta formalis proxima satisfactio pro omnium peccatis fuit, cum omnium operationes bonas, & gratiam habitualement natura anteierit omnium peccatorum satisfactio de facto fuisse concedendum videtur; cum valor satisfactorius ad omnia, atque infinitas plura Christi satisfactio non desit. Inde vero nullius mortalis offensa ac reatum nostris etiam actibus seclusis manere consequens erit: cum omnibus quibus applicata, merita Christi de facto sunt, fuerit, & satisfactio Christi prior, & applicata de facto.

2 Opponit rursus: qui nequit satisfacere pro reatu æternæ pœnæ mortalis nequit satisfacere pro macula mortalis, cui soli annexus, & coniunctus æternæ pœnæ reatus est: aut pro hoc reatu nequit purus homo satisfacere, ergo nequit pro macula mortalis. Minor, in qua est difficultas probatur ex Trident. sess. 6. cap. 14. dicens: *reatum illum sacramento vel voto illius remitti*: ergo huius semper est remissio, nunquam satisfactio adhuc voto sacramenti, quod contritio perfecta, seu actus charitatis est. Maior est certa, quia reatus æternæ pœnæ nihil est aliud quam duratio æternæ maculæ mortalis, ut constat ex disp. a. q. 2. cert. 5. num. 2. & 3. quare, qui maculam mortalis tempore eluit, ut æternè non duret, eo ipso formaliter eluit reatum. Negatur minor ad probationem ex concilio dicitur: reatus extinctionem semper esse adhuc cum contritione aboletur, utroque sacramenti formaliter, & proximè, remissionem Dei in radice ratione auxiliorum, sicut, & maculæ depulsio per illam Dei dicitur remissio, in radice nimirum, ratione eorundem, ut supra dicebamus: qua etiam ratione, Christi, qui ea nobis de facto promeruit dicitur satisfactio. Quamquam, etsi probaret de formali remis-

sione de facto, cum satisfactio solum asseratur, possibilia pura creatura pro mortali, & reatu ipsius nihil contra nostram doctrinam probaretur. Potest enim de facto esse, & maculæ, & reatus remissio, cum tamen aliter res possent disponi, ut contritio vtriusque satisfactio propria foret iuxta dicta num. 1. de satisfactione Christi de facto pro utroque denique maior argumenti falsità est siquidem reatus pœnæ æternæ formaliter comitur, siue consequitur statum, seu dignitatem formalem inimici, non autem demerituum valorem mortalis, ut vidimus.

3 Obicit rursus: nequit homo purus condignam Deo gratias pro beneficiis agere: ergo nequit ei pro macula, & offensa mortalis condignam satisfactionem exhibere. Respondetur, habitum, & auxilia ad actum actionis gratiarum collata necessario, non posse dari intuitu, seu ob gratiarum actionem, quin gratia, & beneficium esse desinant, ac proinde, & actus actionis gratiarum desinat esse gratiarum actio pro illis siquidem gratiarum actio de re aliqua supponit essentialiter rationem gratiæ, & beneficii in illa. Pro aliis vero beneficiis præter hæc, quæ sunt necessaria principia gratiarum actionis, potest purus homo gratias agere, ut patet; quare si non de iis sit sermo, falsum est antecedens si autem non obiectum actionis gratiarum ad dentur auxilia, & actus, sicque beneficia, & gratiæ sunt, nequit condignè pro illis purus homo gratias eo actu exhibere. Tum quia habitus, gratiæ dignificat ipsam gratiarum actionem; quare sui solutio condigna erit, si sit pro se condignam gratiarum actio, quod implicat. Auxilia vero ad gratiarum actionem crescunt in ratione beneficii, & gratiæ ex actu actionis gratiarum secus; nequit autem beneficium, & gratia gratificatoria compensari ea ipsa re qua in ratione gratiæ, & beneficii crescit. Quare in hoc casu, concessio antecedenti negatur consequentia quia hæc incommoda in satisfactione pro macula, & offensa mortalis pro contritionem à puro homine exhibitam non concurrunt. Unde nequit esse paritatis ratio.

4 Obicit Ripal. citata disp. 97. sect. 2. per mortale parari Deo nouum ius dominij ad viliissimam seruitutem peccatoris, tanquam fordidissimi, mancipij, à quo omnia opera possibilia in æternum possit erigere, non minus quam æternis cruciatibus destinare supponit insuper non posse satisfieri alicui pro offensa ad æqualitatem, quin satisfiat iuri offensoris orto ex illa offendente satisfactio æquali, & in qua nulla sit iuris remissio facta ab offenso: quia alias æqualis non erit satisfactio. Rationes vtriusque suppositi examinæ non vacat. Ex illis vero sic arguit satisfactio pro offensa mortalis debet esse satisfactio iuris diuini ad seruitutem peccatoris, qua sine vlla remissione Dei peccator liberetur: atqui nequit illis actibus satisfieri, & extinguatur ius Dei sine vlla iuris remissione in seruitutem peccatoris à pura creatura: ergo, nec Deo pro offensa mortalis satisfieri. Minorem probat, quia cum ad omnia obsequia possibilia peccatoris ius illud Dei sit, hoc obsequio exhibito ius manet in Deo ad reliqua in satisfactum, ac non extinctum; quemadmodum solutione decem facta ei, cui debes centum, non ad æquas, & satisfactio iuri toti illius contra te.

5 Quoniam verò dici posset ab alio non peccatore sed iusto cuiusque opera ex infirmi illa peccati seruitute Deo non deberentur posse pro offensa mortali peccatoris satisfieri in eius principis afferentis factum per modum meriti satisfieri posse pro mortali alterius respondet: iustum, licet non habeat statum seruitutis peccati, aut ex iure antea tunc similis seruitutis debere etiam Deo opera, quæ in statu iustitiæ exercet, ita ut maneat debitum, licet ius pro tunc non extet, sed extiterit. Sed quid, si iustus ille satisfaciens pro alio iustus à Deo crearetur, nunquamque mortaliter deliquisset? Difficultati respondere posset verbis, & discursu Anselmi lib. 1. cur Deus homo cap. 5. alio ab ipso recitatis Eidem quippe difficultati à Rosso obiectæ ita respondebat: *An non intelligis quia quæcumque alia persona, qua*

Deus non esset, hominem redimeret, eius seruus idem homo rectè iudicaretur quod si esset nullatenus restauratus esset in illam dignitatem, quam habiturus erat si non peccasset: cum ipse, qui non nisi Dei seruus per omnia futurus erat, seruus eius esset, qui Deus non esset. Quia igitur seruus peccati redemptus ab alio seruus est redimentis, & alterius, quam, Dei, nemo seruus iure vllò esse potest, ab alio, quam à Deo, redimi non potest ex Anselmo.

6 Its quidem verbis significatum ab Anselmo vult Ripalda discursum illum suum de impotentia satisfactionis pro mortali proprio, cum expressè, ipso etiam Ripalda interprete, loquatur Anselmus de satisfactione pro peccato mortali alieno; quare, & nos ad huiusmodi satisfactionem ex Ripaldæ interpretatione opportunus eum locum indiximus. Sed tamen eius interpretatio præfata testimonio non congruit, siue ipsius doctrina. Anselmus enim, non negat fieri posse, vt redemptus ab alio ex seruitute peccati eius seruus sit; sed solum ea seruitute iuri redemptionis admittit redemptum illum non fore Dei solius seruum, sicut erat, ante peccatum: quare nec posse per redemptionem puræ creaturæ in pristinam dignitatem, quam ante mortale habebat, restitui. Quod longè aliud est, atque non posse à pura creatura sancta, & iusta pro alieno mortali satisfieri, vt patet. Ripalda insuper multis statuerat num. 22 per peccatum contrahi seruitutem diabolo, & creaturis, quæ dulcedinis, & voluptatis peccati prætio emunt peccatorem; & quod ius cum sine Dei libito acquiri creaturis nequeat illud etiam earum supremus Dominus Deus acquirat, quæ ratio satis est leuis pro dominio illo speciali Dei in grauem peccatorem: sed tamen supponit posse esse respectu puræ creaturæ in peccatore seruitutem, contra id, quod negabat. Mitto Anselmi reuerentia rationis suæ examen: Nam, & humanitati Christi dignificatè à deitate, & personalitate verbi, quæ neque vt sic, Deus est, atque vt sic, est redemptrix, seruus est homo redemptus redemptionis iure, nec solius Dei, cuius solum seruus erat ante peccatum.

7 Veni ad discursum Ripaldæ primum, ac præcipuum relatum numero 4. vnde cumque dominum hoc diuinum, & ius exigendi opera peccatoris statuatur, neque amplius, neque fortius, neque ad plura est quam ius ea exigendi ab eodem creationis, excellentiæ, ac beneficiorum titulis: & tamen Ripalda ipse ait, nihilominus illis ipsis ita debitis Deo posse ad æqualitatem pro offensa mortalis satisfieri, si non omnia exigantur; quæ enim non exiguntur libera ad satisfactionem remanent: ergo similiter si ex iure seruitutis peccati à Deo non exigantur libera ad satisfactionem pro offensa erunt, totumque ius offensæ extinguunt. Nec refert in illa non exigentia ex iure seruitutis peccati esse remissione Dei. Tum quia, etiam in non exigentia aliorum iurium est remissio, rum etiam quia, vt sæpè dixi remissio iuris alicuius obest solum satisfactioni ex iustitia stricta. Tum denique, quia cum de offensa nihil remittat, licet remittat de iure ex illa orto, non tollitur satisfactionis ad offensam nudam adæquatio. Tandem satisfactio Christi æqualis non erit, cum aliis titulis Deo omnia eius opera debeantur, atque exhauriantur, ni de eis Deus non exigendo remittat.

R. P. Christoph. de Ortega, de Dei incarnat.



QVÆSTIO III.

An ad satisfactionem pro toto debito obiectiuo mortalis necessaria incarnatio fuerit?



STENDIMVS hæcenus ad satisfactionem pro mortali, siue malitia, siue offensa necessariam incarnationem non fuisse. Vidimusque, cum ex valore, seu dignitate meritum mortalis, tum ex dignitate formali, & status infirmitatè, in quam homo per mortale reducitur, dignum esse pluribus malis positius, atque omnium donorum Dei priuatione grauem peccatorem: vt, de originale etiam, docent Celestin. Pap. 1. c. 4. Prosper. ad capitula Gallorum, atque hanc quidem malorum, siue positiorum, siue priuatorum subeundam dignitatem, quæ in graui peccatore est, debitum subiectiuum mortalis ex nostro Vasquez Theologi reliqui merito nominarunt: Est siquidem reatus, seu debitum luendi pœnas, quod mortale subiecto induxit; Mala vero omnia enumerata quæ dignitatis debiti que illius termini sunt, debitum obiectiuum vocarunt. Et quidem, cum sublata mortalis macula, & offensa, tota peccatoris dignitas ad mala quæuis ob illas æternè subeunda pœrat, imò, & temporaliter, si contritio ex perfectissimis sit, eaque sublata mala illa pœna mortalis deinceps esse non possint haud dubio, quin purus homo, qui potest pro macula, & offensa mortalis, quare, & pro debito subiectiuo satisfacere, pro toto etiam obiectiuo, quod non necessario, & essentialiter supponatur ante contritionem remissum satisfacere queat. Tota ergo difficultas est, quidnam ex malis illis positius, quæ peccator meretur, vel priuarius quæ demeretur, adeo essentialiter, & necessario supponatur à Deo remissum, seu condonatum, vt sine vllis meritis condignis puræ creaturæ cuiusuis donandum, seu condonandum, ac remittendum peccatori graui Deo sit.

CERTAMEN I.

Pervulgata nostri Vasquez opinio ab antiquioribus difficultatibus expeditur.

1 Noster Vasquez disputat. 2. cap. 5. & disputat. 9 cap. 3. asseruit purum hominem non posse pro toto debito obiectiuo mortalis satisfacere. Cum enim ad quoduis bonum opus liberè, & honestè eliciendum (quo solum modo potest esse contritio satisfactio) necessarium sit auxilium gratiæ, ita vt neque diuinitus aliter fieri, elicitè possit omnibusque auxiliis gratiæ debeat, dignusque sit peccator ob mortale priuari; priuatio eius auxiliij necessario, & essentialiter requisiti, & præsuppositi ad contritionem, auxiliij ipsius donatione supponitur: essentialiter condonata, remissaque à Deo: quare se conterens non potest illam mereri auxiliij donationem. Sed neque pura creatura vlla, adhuc gratia adoptionis ornata. Nam hæc nequit dignificare opus honestum ad merendum auxilia aliis, imò, nec sibi, sed sibi gloriam, cuius tantum semen est in suo subiecto fructificans non in extraneo: quare ad eius auxiliij donationem, ac debiti obiectiuo carenti illo satisfactionem Christi, aut alterius personæ diuinæ incarnatæ, aut vnitæ hypostaticè ad creaturam rationalem satisfactione fuit opus. Secuti sunt nostrum Vasquez Gaspar. Hurtado disput. 1. diff. decima-quarta, & decima septima, reliquisque Vázqueziani & R.

A a a Compluten

Complutenses, ac ferè ad annos proximos tota infra Provincia Toletana, totaque Complutensis schola, tantaque profundæ huic meditationi æstimatio accessit, ut à quibus non consensum saltem admirationem extorserit. In consentientibus mirandisque diù sui, & quamvis iam à consensu defecerim nunquam tamen ab eius sententiæ veneratione deficiam. Quare, & illam priusquam propriis rationibus impugnem debitè obseruantia ergo ab aliorum impugnationibus vindicabo: ut, qui eam postmodum sequi velit, nostratum solum rationum solutione facili opus habet. Ita enim semper cum magno Valquez decerto, ut vinci festiderem.

2. Obiicit Ragusa noster disputat. 5. de Incarnatione §. 3. verlu *Præcipue arguo*. Priuatio beneficiorum Dei secundum se non est pœnæ mortalis, sed solum, quatenus Dei beneficia sunt, atque ex peccatoris complacentia, in bonumque ipsius à Deo conferuntur; neque enim meretur, ut Deus se, sua vilitate, & voluptate in eis conferendis priuet: atque potest auxilium non ex complacentia, & in bonum peccatoris ad contritionem à Deo conferri, sed ad suæ gloriæ ostensionem, aliudvè quidpiam: ergo contritio ab auxilio sic collato proueniens non supponat vllum debitum obiectiuum remissum, ac proinde erit pro toto obiectiuo debito satisfactio. Distinguo maiorem: beneficiorum Dei, quibus peccator non determinatur physicè, vel logicè ad amicitiam, vel reconciliationem cum Deo inimico, concedo maiorem; quibus determinatur ad ea, quemadmodum auxilio congruo ad contritionem, nego maiorem. Cum enim inimicus Dei sit omni eo, quo in gratiam eius determinetur, & redeat ex quocumque motiuo donetur, indignus est. Dices ad actum contritionis non requiritur per se, & essentialiter hoc numero maternitas requisita essentialiter non fuit ad Christi existentiam, potuit cadere sub merito virginis ex gratia Christi existentis profectum Infero secundo: ergo huius auxilij condonatio non supponitur essentialiter, ad contritionem eius enim solum condonatio essentialiter ad contritionem supponitur, quod essentialiter, & necessario ad illam præcedat. Negari facile posset antecedens. Narr, licet hæc numero contritio possit secundum physicam entitatem ab alio numero auxilio, & sancta cogitatione procedere, non tamen, quatenus satisfactio est: hæc siquidem numero satisfactio dicit hanc numero libertatem: hæc autem numero libertas essentialiter dicit hoc numero auxilium, & hanc sanctam cogitationem sed neque eo admissio consequentiæ tenent. Nego igitur vtramque secundam, quia, cum mereatur peccator, dignusque ob mortale sit, ut omni auxilio careat, hocque, vel illud essentialiter requiratur, atque hoc de facto præcedat, hoc de facto essentialis dependentia contritionis ab aliquo fuit expleta; quare, & hoc ex parte antecedentis indigno donatum, seu condonatum est. Neque minor est remissio, & condonatio, quod hoc, quod condonatur in individuo, necessarium determinate, & essentialiter ad contritionem non sit: sicut, neque maior est solutio, quod hoc secundo determinato, cum aliis possem, debitum scutum persoluiam.

3. Hinc ad primam illationem dico præmij materiam non esse huius auxilij præ alio individuo æqualem donationem, sicuti, neque quod hoc præ alio scuto, scutum solvatur debitum, materia est gratitudinis, quia in ea præelectione, neque se contenteri, neque creditori quidpiam commodi fit: quare, nec est in ea quidquam æstimabilitatis mai-

oris, quam, si aliud individuum æquale donaretur. Cum ergo totum commodum se contenteri, & quod materia præmij esse posset, si auxilium congruum, quod quidem essentialiter ad contritionem supponitur, & in hoc determinato condonatum sit, quod donatur indigno, nequit sub merito contritionis venire; quia quod præmij materia esse poterat, essentialiter supponitur ad ipsam contritionem donatum: quod autem non essentialiter, sed per se præcedit, nempe individuatio determinata huius auxilij, materia præmij non est. Secundo: licet esset individuum hoc determinata materia præmij, cum per se, licet non essentialiter, qua tale supponatur ad contritionem, nequit sub eius merito cadere. Vnde constat disparitas ad meritum Christi, & Beatæ virginis erga maternitatem Christi. Tum quia non adeo per se ad eiusmodi merita supponebatur, atque individua hæc cogitatio sancta ad contritionem, ut infra dicemus. Tum quia, & Christo hæc præ alia matrem habere, & virgini cuncti filij præ aliis omnibus maternitatem amplissima præmij materia fuit. Sed dices: licet auxilium hoc donatum per se præcedat contritioni, non autem qua condonatum: nam, & condonatio non est conditio necessaria ad contritionem, seu actum charitatis, saltem, quæ contritio non fit, sitque æquæ, ut potest, satisfactio, atque est contritio. Ex alia vero parte, cum sublato debito subiectiuo toto, seu subiecti, indignitate totum obiectiuum debitum cessat in instanti durationis primo, in quo est contritio, & in quo debent esse quæcumque ex parte actus primi contritioni præcedunt, non est debitum obiectiuum carenti auxilio cum instanti illud primum durationis, & ex sententiæ contritionis, sit primum, in quo non est macula, & dignitas demeritua mortalis: quare, neque debitum obiectiuum carenti auxilio erit, sine quibus nequit esse condonatio. Ergo condonatio sub merito, vel satisfactionem contritionis cadere potest, etsi sit, vel potius ergo nulla est ex parte actus primi condonatio, ac remissio. Nego consequentiam vtramque antecedentem permisso. In condonatione sunt duo: & donatio, & indigno, non, qui actu sit, cum donatur: (nam condonatione, seu remissione extrahimur à debito, seu dignitate solvendi, seu luendi: quare in eodem instanti remissionis, & condonationis, esse debitum, & dignitatem non minus pugnat, quam terminum à quo positum est cum termino, ad quem negatio ipsius) sed qui fuerit indignus immediate ante! quare condonatio supra donationem addit solum denominationem extrinsecam ab indignitate antea acta recipientis, ipsique necessario aguatam, & inuitabilem, nisi indignitas proxime antecedens auferatur: ad hoc autem potentia non est, adhuc in Deo: esset enim potentia, ut non fuerit, quod impossibile supponitur: esset impossibile autem, ad quod neque potestas est in Deo præstante, nec dignitas, nec congruitas meriti potest esse in merente; denominationes autem extrinsecæ, quæ comitantur necessario, & immediate tanquam earum impedimenta actionis, licet non ex effectus exigentia, ex necessitate tamen denominandi actiones in instantibus, etiam naturæ, in quibus primum sunt comitantur: quare, & effectus earum antecedent.

4. Obiicit rursus. Ablatio quomodocumque debiti obiectiuo se ipsa ipsa est ablatio debiti subiectiuo: patet: quia remissio pecuniæ debitorum est remissio obligationis subiectiæ solvendi, & soluto debito obiectiuo pecuniæ solvitur etiam obligatione solvendi: ergo remissio necessaria facta à Deo debiti obiectiuo auxilij pro hoc instanti primo contritionis est necessaria remissio debiti subiectiuo, seu dignitatis carenti illo: ergo nequit satisfieri ab homine pro debito subiectiuo: probatur consequentia: quia remissio debiti obiectiuo est pro priori naturæ ad contritionem: ergo, & subiectiuo, si eadem est, & in se ipsis vtrinque debiti remissio: quare, cum contritio pro posteriori naturæ accedit nil habet,

habet, quod agat in abolenda, siue eluenda dignitate demeritoria, seu debito subiectiuo mortalis. Secundò quia implicat simul in eodem instanti esse eiusdem debiti solutionem, siue satisfactionem, & remissionem: quare possibilitas satisfactionis à pura creatura pro debito subiectiuo cum impossibilitate satisfactionis pro obiectiuo, ac necessaria huius remissione pugnare videtur. Respondent. RR. remissione, seu condonatione debiti obiectiuo carenti auxilio tolli parialem indignitatem, quæ ipsi respondet, non autem totalem aliorum beneficiorum, quibus peccator dignus est carere: quare, & has partes debiti subiectiuo contritione aboleri, pro eisque satisfieri. Contra: ergo purus homo nequit satisfacere pro toto debito subiectiuo, vt asseritur nec magis pro hoc, quam pro debito obiectiuo: nam pro aliis etiam debitis obiectiuo præter donati auxilij carentiam satisfieri etiam à pura creatura posse Vasquez fatetur. Contra secundo: quia debitum subiectiuum, grauis peccatoris indiuisibile est omnia mala positiua, vel priuatiua insignibilia à Deo respiciens; est quippe indignitas ea omnia patiendi, si Deus velit quod si non sit patiendi omnia mala, sed aliqua tantum, non est dignitas propriè mortalis, sicut potentia, quæ aliquorum faciendorum, imò omnium præter vnum tantum sit, omnipotentia non est. Plenior ergo planiorque solutio, sit negare antecedens; licet enim debiti subiectiuo, siue dignitatis demeritorie ablatio obiectiuo etiam ablatio sit, non autem contra: neque exemplo ex debitis pecuniariis fuaderetur debitum enim pecuniarium ex furto, vel commodato contractum inæqualitatem factam lætio in surreptione, vel detentione pecunie contra ipsius voluntatem supponitur quare cessante, vel inæqualitate ob solutionem vel in voluntarietate læti ob voluntariam remissionem ipsius, debitum subiectiuum necessario cessat: Alit debitum subiectiuum peccatoris grauis solum dicit dignitatem demeritoriam ipsius quia inimici Dei: quare remissio, vel non remissio debito obiectiuo, siue partiali, siue totali, quandiu Dei inimicitia in illo perseverat, & debitum subiectiuum perdurat: perseuerat autem inimicitia Dei quousque contritione aboleatur.

5 Argues iterum positione physica contritionis ab homine, quatenus ex se est, ponitur ab homine satisfactio pro debito subiectiuo, cui opponitur contradictoriè: ergo positione physica ab homine cogitationis impossibilis cum sui carentia, quæ debitum obiectiuum est, quatenus ab homine ponitur, & ponitur debiti obiectiuo satisfactio. Permissio antecedenti negatur consequentia. Non enim debitum obiectiuum, sicut subiectiuum, contradictoriè positione aboletur. Ecce Debeo dare centum, non do, posui contradictorium debiti, id est negationem dandi centum an solui positione contradictoriè ad debitum laboleuè debitum illud obiectiuum! minime; sic etiam debitum obiectiuum est carentia auxilij, posui auxilium physicè, quod carentiæ contradicit, non solui. Secundo: quia in debitis penalibus, nisi iudex suo cedat iuri non satisficit, adhuc pro debito obiectiuo exhibitione tantundem mali à reo sibi ipsi infligti. Debes centum verbera: vapulas à te centies; an ita iam debitum soluisi, vt centum tibi verbera deinceps impingi à iudice per tortorem iure nequeant? Debitum autem subiectiuum, quæ sola dignitas demeritoria est, non debitum luendum positione contradictoriè ab ipso, in quo erat peccator aboletur. Sed, & antecedens est falsum; Non enim physico solum concursu peccatoris ad contritionem satisficit pro debito subiectiuo, sed morali, ac libero ad quod Dei gratia, & remissio præcedit: quare, vt auxilij positio ab homine esset debiti obiectiuo satisfactio, libere etiam, & honeste deberet ab illo apponit ad quod auxilio alio gratiæ opus erat, quod, cum peccator, & indigno conferretur in eo esset debiti obiectiuo remissio. Quocirca, licet homo mereri posset de con signo, vt potest de congruo auxilium ad resurgendum à mortali per contritionem, per opus bonum antecedens, atque vniuersam reparationem post

Re P. Christoph. de Ortega, de Dei incarnat.

lapsum, ad illud opus bonum antecedens Dei gratia requiritur, in cuius donatione condonatio, & remissio debiti, alicuius obiectiuo præcedit.

CERTAMEN II.

Quousque difficiliore alia obiectiones contra Vasquez procefferint ostendimus.

1 A Ntiqua, ac difficilis obiectio fuit: Grauis peccator dignus fuit carere omni beneficio Dei, quia beneficium ipsius est: atque ex eius amore à Deo perfectum: atque redemptoris donatio ex nostri amore, atque, vt nostrum beneficium à Deo fuit perfectum (inde enim maxime erga nos amorem Dei, ac beneficentiam commendat Paulus ad Rom. 5. ad Tit. 2. & 2. Corinth. 8. & Christus ipse Ioann. 3. quod nobis prouiderit, miserit, donauerit Redemptorem; ergo eo, vt datus nobis est, carere digni eramus: ergo in eius donatione facta fuit nobis de facto à Deo alicuius debiti obiectiuo condonatio atque remissio; ergo Christus non satisfecit pro toto nostro debito obiectiuo. Vtramque consequentiam probo: quia Christus nequiuit suis meritis existentiam suam, Deique erga nos beneuolentiam contentam in decreto, quod fuit de sua existentia, promereri; existentia quippe essentialiter ad meritum supponebatur, & decretum supponebatur saltem per se ad meritum, & existentiam: Hoc autem, & absurdum est, Redemptionem Christi diminutam ostendens, atque in hac opinione non necessariam. Ad id enim, necessaria solum asseritur, vt nobis nullius debiti obiectiuo quantumvis minimi fiat à Deo remissio, sed plena potius sit pro illo satisfactio. Hinc constabit quanto difficultatis huius metu consternatus Hurtado difficult. 17. num. 78. male negauerit Christum Redemptorem beneficium nostrum esse, sed solum causam non effectum prædestinationis, vt esse debebat, si in se nostrum beneficium foret. Solum ergo ait esse beneficium in radice, & quod remote solum nobis ad salutem vile sit: sed tamen plura remote solum ad salutem nostram conducentia: vt externa è quibus salutiferæ nobis cogitationes suboriuntur inter prædestinationis effectus, ac proinde, vt beneficia, & gratias recensentur ab Hurtado. Nec refert cæli, ac Dei existentiam nobis proficuum esse, etiam in ordine gratiæ, & tamen neque inter gratias, & beneficia Dei, quibus carere debebamus ob mortale, & in quorum donatione Condonatio nobis fiat, numerari: quia valde remote ad salutem influunt. Non enim ideo inter Dei gratias ad salutem non recensentur, neque earum donatio condonatio est: sed quia non ex amore nostri Deus existit, neque cælum ex amore nostri, in ordine gratiæ supernaturalis datum est: imò nec nobis condonari potuit, quia, licet ex eo affectu daretur, non tamen eius donatio nos peccatores, & indignos supposuit, vt ad condonationem, ac remissionem debiti carenti illo opus erat licet autem Christus Redemptor in se formaliter nostrum beneficium, gratiæque fuerit, tamen effectus prædestinationis non est, quia voluntas decernens existentiam Christi Redemptoris omnes æquè homines reperit: quare ex ea non caput prædestinatorum à reprobis discretio, atque in voluntate Dei separatio, in qua prædestinatio consistit.

2 Multa alia mouent. RR. quibus non respondeant argumento. Primum infinitatem satisfactionis Christi sed tenuitate valoris non posse Christum suam existentiam nobis promereri, non contendit argumentum, neque pro debito nostro carenti Redemptore ob tenuitatem valoris nequeat Christus satisfacere: sed quia donata necessario præcedit indignis, sicut auxilium ad contritionem: & quod nequeat principij meriti sub meritum cadere. Dicunt secundo: in Christo satisfacturo

non esse dignitatem carendi sua existentia, sicut in nobis satisfactionis est dignitas carendi auxilio. Quid inde? non erit condonatio respectu Christi satisfactori, sed nostri, pro quorum debito erat satisfaciendum. Dicunt tertio: Christi opera dignificari ex vnione hyposthatica, non autem ex nostro peccato, neque ex condonatione prouenire: sed neque nostra opera dignificantur à nostro peccato, neque proueniunt physice à condonatione auxilij, sed à donatione, quæ posita indignitate eius donationem ex parte actus primi impediens illam, comitanter condonatio est: quæ, & in donatione Christi Redemptoris nobis facta, eodem modo eueniunt. Dicunt quarto: contritionem esse detestatiorem peccati, quare ex cogitatione peccatum supponente procedere. Contra: satisfiat actu alio charitatis, ut potest, qui ab illa cogitatione non finit, sed, à cogitatione sola bonitatis Dei. Dices: adhuc in peccatore illum actum esse virtualem peccati detestationem. Contra: quia actus ille charitatis non est detestatio absolute peccati, adhuc virtualiter, nisi ex comitantia peccati in eliciente: alioqui à prorsus iusto, in quo virtualis adhuc detestatio peccati commisi esse nequit, actus charitatis elici non posset. Sed fit virtualis detestatio, quæ nihil supponat peccati cogniti ab eliciente, nihilque tuæ solutioni proderit. Denique ad condonationem indebiti, seu donationem indigno, nihil præstat scientia indignitatis, vel eius ignorantia in recipiente: solumque conducit scientia, vel ignorantia in dante, quæ Deo donanti auxilium, & Redemptorem, quibus indigni eramus necessario adfuit. Dicunt denique auxilium ad actum charitatis supposito peccato non posse dari à Deo nisi ex intentione expulsiōis peccati necessario per illum actum futuræ; quare nec posse dari nisi ex scientia peccati in Deo; posse autem dari Christum non ex scientia peccati, & intentione Redemptionis nostræ. Contra: quia de facto datus est in Redemptorem, & ex intentione ut pro peccatis satisficeret, atque ex Dei beneuolentia erga peccatores: ergo de facto datus, est ex scientia peccati. Contra secundo: quia, licet ex auxilio congruo necessario necessitate logica futurus sit actus charitatis, & expulsio item peccati, potest tamen non ex ea intentione dari, sicut datur auxilium sufficiens ex quo æque necessitate futurum est peccatum, non tamen ex intentione peccati. Christus insuper dari posse dicitur non ex intentione Redemptionis, licet ex eius, & auxilij cuiusuis ad operandum donatione redemptio necessario erat futura, atque pro peccatis satisfactori. Nec patet iis recursus ad principium remotum, quod in eorum opinione impugnananda controuersia de causis incarnationis, & disput. de merito Christi cadere sub merito potest. Tum etiam quia donatio auxilij principium remotum est actus charitatis.

3 RR. Complutenses ex acceptis ab scholæ Theologicæ emphasi magistro meo Didaco Daza meritis per modum prærij, & solutionis aiunt decreto incarnationis duplicem à Deo libertatem exercitam fuisse: vnã circa incarnationis substantiam, circa motiuum illius substantiæ exequendæ, nempe ob nostram Redemptionem, ex nostrique beneuolentiam, alteram; siquidem potuit incarnatio fieri, quin ex eo fine, & ex nostri beneuolentia esset: quare eadem incarnationis decreto vtraque libertas diuina exercetur. Cum autem Christo secundum se carere non debeamus ob mortale, sed quatenus in nostrum bonum, ex nostrique beneuolentia donatur, quo solum pacto Dei erga nos beneficium est, si Christus promeruit, ut ex hoc fine, & beneuolentia nobis donaretur, pro debito carendi Christo Redemptore prorsus satisfecit. Promeruit autem inquit: quia, licet non per merita absoluta, & remuneranda, quæ Christi incarnationem executam de facto, ex hoc motiuo, & sine supponebant, adhuc, ut ex motiuo hoc Christus existeret, promereri poterit: sed neque meritis per modum prærij, & solutionis decretum illud, ut ad substantiam incarnationis terminatum, quia merita Christi ex substantia incarnationis,

& vnionis hyposthaticæ valorem recipiebant, quare, nec prærij, & solutio illius esse poterant, quin sui ipsius valor solutio foret, quod implicat: At decreti incarnationis, quatenus ex fine nostræ, redemptionis, nostrique a more fuit illa executio, ratione cuius opera Christi valorem non recipiebant, neque dignitatem, prærij esse poterant cuius intentione, & spe Deus ex nostri beneuolentia, nostræque reparationis sine incarnationem decerneret, atque exereretur. Neque tamen, inquit, ex eo, quod merita Christi per modum prærij, & in spe moueant, ut finis, mouent ad ea omnia, quæ sunt, media ad ipsa merita obtinenda, tanquam prærij, ac proinde neque ad substantiam incarnationis, quæ medium necessarium est ad eiusmodi merita obtinenda licet enim, quia finis merita Christi sunt, mouent ad omnia ea, quorum, quidem finis sunt, sint autem vtriusque libertatis, & circa substantiam incarnationis, & circa motiuum exercitæ, ac proinde mouentur ad substantiam incarnationis, & decretum, quatenus circa illam, non autem, ut prærij: quia prærij enim solum mouent ad motiuum, & decretum, quatenus ex illo habetur. Nec refert aiunt, eundem fore valorem, & prærij, quod Deo solueret Christus ob sui existentiam ex alio quouis fine decretam; quare in meritis, seu gratiarum actione Christi non apparere, ob quod ex hoc motiuo potius, quam alio incarnationem decreuerit Deus: cum enim idem dandum pro alio quouis est, non est prærij, quo ad hoc potius intuitu gratis moueri voluntas possit: quia, inquit, et Peltano, & Lugo supra memoratis, licet idem valor finis omnibus Christi actibus, motio tamen ad Deum, huiusque complacentia maior in perfectioribus Christi actibus erat.

4 Obiiciunt sibi præterea, Deus mouetur ob merita Christi tanquam finem, & prærij: ergo redemptio medium est solutionis obtinendæ, non finis, decernendæ incarnationis. Recurrunt ad electionem extrinsecam, ut primum Deus intendit prærij meritorum Christi: Deinde cognoscens medium ad ea obtinenda esse decretum incarnationis ex motiuo Redemptionis illam ex eo motiuo decreuit, quin in finem meritorum Christi intrinsecè eo decreto ferretur. Electiones extrinsecas huc è Castellana nostra Prouincia aduectas funditus eueram controuersia sequenti disput. 1. Secundo dante intentionem argumenti, planeque admittunt Deum, neque ex nostri beneuolentia neque ex Redemptionis nostræ sine Christum decreuisse: id quod, & scripturarum citatis, & Patribus innumeris aperte aduertitur, & intento etiam RR. tot fulcris, & machinis hæctenus sustentatum contrarium est in id enim, totæque sunt ab ipso discursuum molimine instructa, ut pro debito nostro carendi Christo Redemptore ex nostri beneuolentia data (qua solum ratione non autem secundum se, illo carere digni ob mortale fueramus) Christum satisfecisse defenderent: nihilque proinde nobis posita Christi super abundantia satisfactione remissum à Deo fuisse. Ecce vero, & sine illis nihil in Christi donatione condonatum, in tua hac doctrina nobis à Deo fore. Sed videte, quam leui obiectione ingeniosi quandoque turbentur. Nego pro eis primam obiectionis consequentiam; Non enim Redemptionis medium, & vile ad merita Christi obtinenda fuit Deo, sed decretum incarnationis ex fine Redemptionis. Cum autem id solum, quod vile, & medium est amari propter finem debeat, non autem eius obiectum, sit planè redemptionem nusquam à Deo ex fine meritorum Christi recipiendorum amari debere, sed solum cum illis finem in adæquatam esse. Quare ratione huius in adæquatam finis incarnationis Christum nostrum beneficium gratiamque à Deo ex nostri beneuolentia datam esse, quam modo dicto Christus nobis promeruit. Vnde nisi merita hæc repugnarent, ut plus satis controuersia de merito Christi ostendam, benè hac theologia præsens quiesceret difficultas.

5 Atque hæc quidem ex parte se contentis peccatoris, vel à priori, vel ab absurdo perita argumenta contra nostrum Vasq. hæcenus sunt. Ex quibus in postrema hoc solum cernitur robur. Iam aliunde ex parte alterius, qui possit pro debito carenti auxiliis, vel simili beneficio ad actum contritionis requisito, ob alterius peccatum satisfacere, ac proinde sine Dei condonatione remissioneve vlla possit auxiliam, & gratia illa haberi à peccatore vt se conterat, sic arguitur: nam debitum illud obiectiuum poenale finitum est. Ergo finita solum satisfactione soluetur; sed finita satisfactio pro alterius poena debita, pura creatura esse potest: ergo, & pro debito carenti auxilio. Dices satisfactionem ab alio pro debito alterius nunquam esse exactam, & æqualem, cum ea adhuc exhibita possit iustus creditor illud à debitore exigere: vt patet in debito pecuniario quod à Petro debitore exigere solum, est à Ioanne mihi pro Petri debito offeratur solutio amplior etiam, quam debitum fit, insuper in debito honoris. Exhibita enim summisione quauis secundum se æstimabilior, quia dignioris personæ fit, possum satisfactionem exigere à viliori persona, quæ me dehonoraui. Contra: quia hæc doctrina probabis: neque Christum pro debito nostro carenti auxilio, & gratia Dei potuisse satisfacere: nam & eius satisfactione oblata potuit absolute Deus à nobis debitas poenas exigere, neq; illam pro eis acceptare. Aliud igitur est rem oblatam exhibitamque pro debito alterius æqualem esse debito in valore: aliud creditorem posse illam acceptare, vel non acceptare: & quidem, vt satisfactio è rigore iustitiæ fit, & æquale debet esse, quod pro debito offertur creditori, & necessariò à creditore acceptandum, vt exempla demonstrant, docuimusque disputat. r. vnde ex rigore iustitiæ non posse pro debito vnus ab alio, etiam à Christo domino, satisfieri, concludebamus. Imò in debito honoris propriè læsi quantumuis maior, æstimabiliorque honoratio læso ab alio, quam ab offensore offeratur, materia apta satisfactionis non est, vt cum pluribus obseruabamus ibidem: Cum enim honoris læsio, & iniuria fiet in vili existimatione, quam offendens se habere de alio dehonoratione testatur, hæcque perferre potest, quantumuis magna submissio, & honoratio æstimabilior ab alio quam ab offendente læso exhibeatur, quousque offendens submissione, & honoratione propria oppositam æstimationem suam de offensa testetur, iniuria non cessat, quare, licet dignioris summisione, & honoratio maxima amplior honoris sui materia fit, non tamen materia satisfactionis erit, quæ iniuriam possit extinguere. Cæterum cum de satisfactione pro debito alterius non è iustitiæ rigore agitur, posse creditorem non acceptare satisfactioni non obest, si valor in re oblata ab alio æqualis fit cum debito alterius, vt patet in debito pecuniario. Debeo centum Petro: offert illi centum pro meo debito Ioannes: acceptat Petrus, & recipit, nonne satisfactionem Petro ad æqualitatem pro meo debito est, quin aliquid debiti mei remisit propter ius exigendi à me? Cum ergo debiti obiectiuo carenti auxilio, & gratia Dei. Solutio è iustitiæ rigore futura non fit, si ab alio pro meo hoc debito æqua condignaue compensatio offeratur, Deusque acceptet vt potest, nihil sanè mihi debiti illius remittetur à Deo. Nec refert si dicas in donatione auxilij alteri satisfacturo pro me condonationem Dei necessariò intercedere; etenim, si non ex mei peccatoris beneuolentia detur, sicut nec Dei erga me beneficium est, ita neque eius carentia dignus eram ob mortale.

6 Nostr Vasq. ex i. 2. d. 77. c. 3. & d. 13. c. 5. negat minorem: quia satisfactio ex eis locis vnus pro alio solum esse potest per modum meriti, vt autem æquum, & condignum auxilij gratiæ meritum purè creatæ operatio esse queat, debet necessariò à gratia habituali dignificari: gratia autem non dignificat opus iusti nisi ad præmium, & gloriam propriam operantis, cuius solius, & ius, & semen est: semen enim solum fructificat in solo, vel subiecto proprio, non in extraneo. Hanc ratio-

nem multis explicant, & confirmant R. Complutenses. Primò quia Deus complacet in bonitate subiecti operanti, complacet operi præfatæ bonitati coniuncto: ergò solum mouet in ordine ad id, ad quod mouet complacencia subiecti, nempe ad gloriam propriam subiecti. Secundò: quia nisi gratia haberet ordinem ad gloriam tanquam ad hæreditatem filij Dei adoptiui, quem se ipsa constituit opus bonum, non mereretur de condigno gloriam, ideo enim habet condignitatem ad gloriam, quia ordinatur ad id, quod gratia dignificans secundum se respicit. Tertio, quia per opera ipsa formaliter iustus creuit in sanctitate, seu filiatione adoptiua, vt ex illo Apoc. 22. *Qui iustus est iustificetur adhuc*: Ergo idem ius fundant, quod gratia, & iustitia habitualis: hæc solum fundat ius subiecto, cui inest ad gloriam, & operationes proprias Dei: ergo eidem solum, & ad eundem fundant ius bona opera iusti. Quarto deusque: actio, studiosa, ita fundat ius ad laudem operantis, vt alius nequeat ob illam laudari: ergo opus iusti, ita fundat ius ad gloriam propriam operantis, vt alteri ius dare non possit. Patet consequentia: quia non minus intrinsecè opus iusti est ius determinatè ad gloriam elicentis, cum sit intrinsecè sanctitas, & filiatione adoptiua ipsius, iusque proinde ad gloriam, quam actio studiosa ius ad laudem elicentis. Nec refert si dicas nostro capite Adamo obseruante præceptum ex Dei pacto gratiam nobis fore promerituram: sicut, & demeruit transgrediendo, ergo & posset nobis auxilia promereri. Si originale nostrum in gratiæ priuatione consistat. Respondetur facile cum Regula disp. 5. §. 5. vers. *Secundo præcipuè*. & Hurt. cit. d. difficult. 14. nec demeruisse nobis Adamum gratiæ secundum se priuationem, sed solum vt deriuandam ex ipso titulo naturalis propagationis ab illo, neque aliud promeriturum fore, si non transgredere, sed obseruaret præceptum. Secundò facilius responde: huius fuisse demeritum, neque si obseruasset meritum fore respectu nostri, sed solum conditionem ex Dei pacto: quo etiam modo b. b. perfrictio, nariumvè emunctio ex Dei pacto transfundenda in nos gratiæ conditio esse posset.

7 Sin autem originale nostrum consistat in physica Adami transgressione, pro vt à nostris voluntatibus eius voluntati alligatis, ex pactoque constitutis in ipso non dum à nobis retractata, nec transgressio pro vt Adami, nobis demeruit, neque obseruatio, pro vt ab ipso, nobis meruisset gratiam, sed neque pro vt à nobis, eam, adhuc nobis, promeretur de condigno: cum Adami gratia, quæ physicè nobis non inest, neque nos absolute sanctos, iustos, filiosq; Dei adoptiuos constitueret, vt opus erat ad hoc, vt nostra opera dignificarentur, eleuarenturque ad præmium supernaturale. Porro doctrina hæc de impossibilitate meriti condigni ad gratiæ auxilium vnus pro alio, vt vera non fit, adeo tamen verisimiliter est fundata, vt hæcenus non expugnata ab aliis, sed neque solidè impugnatam viderim: quare hæc ex parte Vasq. nostri sententia tot post & aduersarios, & annos incòcussa persistit. Cæterum non posse vnum pro debito pænali alterius nisi per modum meriti satisfacere, neque satisfactionum bonorum operum valorem à merito eorum formaliter differre duriusculum mihi, & Cardinali nostro Logo fuit: videreturque contra communem Theologorum sensum, quos eruditè congerit Soar. 3. part. tomo 4. disp. 48. sectione 3. conclus. 1. licet obiter, improbat primò: quia satisfactiuus valor respicit iustitiam vindicatiuam Dei, meritius autem gratitudinem Dei formaliter, quæ sunt diuersa connotata formalia, quare, & diuersas in opere bono formalitates arguunt. Vnde communis sententia est eum, qui bono opere pro suo veniali satisfacit, non minus mereri, quam si tunc nihil haberet pro quo satisfaceret: vel quia veniale non habebat cum operabatur, vel, quia antea pro illo satisfecisset. Secundò improbat ab absurdo: quia hæc opinione iusti primum à satisfaciendo pro animabus pugatoris suis operibus detererentur: cum necesse sit eos tunc merito prorsus spoliari proprio fateor semper aplicanti meritum pro aliis reman-

forum charitatis, quæ in ea applicatione exercetur meritum non leue, sed certe parum non est appliciti operis merito se abdicare debere, ut pro aliis satisfiat. Tertiò denique improbat: quia nec satisfactio condigna pro animabus purgatorij vllis aliorum iustorum operibus poterit exhiberi cum condignitas valoris satisfactorij non gignat à gratia habituali formaliter proueniat, quam condignitas valoris meritiui, quare solum fructificabit subiecto iusti operantis, non autem alteri iusto, qui in purgatorio sit. Vnde ex hac parte non nimis nostri Valquez solutio videtur consistere.

CERTAMEN III.

Ut pro toto grauis peccatoris, obiectiuo debito satisfaceret necessaria absolutè incarnatio non fuit.

Conclusio est Alexand. Alenf. 3. parte quæst. 1. memb. 5. articul. 2. Richard. in 4. distinct. 17. articul. 1. quæst. 7. Ruard. in 4. d. 17. art. 1. quæst. 7. Palud. in 3. disp. 12. quæst. 2. art. 2. Ruardi Tap. in à disp. 17. art. 6. Sed hæc satisfactio & § 3. difficultas, & art. 8. §. Sine hac fide. Domin. Sot. in 4. d. 1. a. 4. q. 1. ante med. d. 19. q. 1. art. 2. Caiet. 3. p. q. 1. a. 2. §. Ad horum euidenciam, & §. Ad primum: Subobscure autem Vega 3. in Trident. c. 5. clarius noster Soarius disp. 4. lect. 7. Ragusa disputat. 3. & 4. Vvaldingo disputatione 1. dub. 5. Bernal. disput. 4. lect. 1. §. 2. n. 13. & 14. probari potest primò: quia ad satisfactionem pro mortali satisfactione pro debito obiectiuo antecedenti illam opus non est; alioquin Christi satisfactio pro nostris mortalibus adæquata absolutè, nedum superabundans satisfactio fuit, quin gratis nobis condonatum, & remissum fuerit à Deo debitorum carenti redemptore, vt ostendimus certam. 1. à num. 1. ad 5. Secundò: quia: etsi ad plenam satisfactionem pro mortali pro omni debito obiectiuo satisfaciendum sit pro debito carenti auxilio, & principio quouis necessario ad contritionem peccatoris, quod finita pœna est, poterit à puro alio homine per opus bonum satisfieri: tum quia vt meritum condignum vnus pro alio esse non possit; aut possit esse satisfactio pro debito illo carenti auxilio, vt ostendebamus ibidem: tum quia, quidquid de hoc sit, meritorie possit pro illo ab aliis satisfieri: ne omnino satisfactiones iustorum pro debitis pœnalibus animarum purgatorij impossibiles dicamus, atque inutilem ferè Ecclesiæ totius frequentem pietatem in nostri Valquez sententia, qui valorem operum satisfactorium à meritorio minimè distinguendum contendit.

2 Sed hoc ipsum suadendum nunc ex instituto erit: Nempè, iustum posse alteri auxilium gratiæ promereri de condigno: quare, & pro debito grauis alterius peccatoris carenti illo ita satisfacere, vt eius donatione peccatorij facta, antecederet ad contritionem, qua maculam mortalis eluat, ac subiectiuum debitum soluat, nulla à Deo condonatio fiat. Et quidem quoad meritum gratiæ, siue habitualis, siue auxiliantis alteri etiam peccatori concedendæ, ita præter citatos censent Lorca, 3. p. d. 6. à n. 16. Cabrera d. 12. conclus. 1. Zumel 1. 2. q. 114. art. 6. dub. 1. Granadus 1. controu. 1. de incarnat. tract. 2. fanner. tom. 4. disput. 1. quæst. 2. dub. 8. quos sequitur Ripalda d. 96. f. 2. & 3. quibus adde Thomistas afferentes Christum, vt caput gratiam in homines meritorie influxisse per opera sua, vt à gratia habituali dignificata. His consentiunt Alexand. 3. p. q. 11. num. 3. corp. & ad vlt. S. Bonauent in 3. d. 13. art. 2. quæst. 2. Richard. art. 3. quæst. 2. Gabriel. q. 1. art. 3. fin. Almainus ibid. Paludanus, quæst. 1. art. 4. concl. 3. Durandus q. 2. n. 9. Marfilus in 3. q. 10. art. 1. ad 3. dub. Hæc à Theologorum autoritate quæ augetur ex sancto Thoma 3. p. q. 8. art. 5. vbi docet Christum per gratiam

habitualement fuisse caput influens in homines gratiam, & quæstione 64 articulo 4. corp. ait: tantam gratiæ plenitudinem potuisse Christum ministris communicare, vt eorum meritum operarentur ad Sacramentorum effectus, qui gratia vtraque, & auxilians, & habitualis procul dubio sunt. ac. 1. 2. quæstione 114. articulo 6. ideo negat iustorum operibus meritum condignum gratiæ alienæ, quia iustorum opera ad ipsam Deum nec ordinant, nec acceptant, non autem defectu naturalis proportionis meritorum iusti cum præmio gratiæ alienæ.

3 Sed & pro eadem sententia, stat Augustinus à quo mutuatus videtur sententiam datam ex quæstione 64. artic. 4. S. Thom. Augustini verba sunt: Potuit Iesus Christus, si vellet, dare potestatem alicui seruo suo, vt daret baptismum tanquam vice sua, & transferret à se baptizandi potestatem, & eam constitueret in seruo, & tantam vim daret baptismi translati in seruum, quantum vim haberet baptismus datus à Domino. Hoc noluit &c. vnde sic arguo: Potestas baptizandi transferibilis à Christo in eius seruum non est potestas propria ipsius qua Deus est, nec ipsi qua homo est, proueniens à deitate, vel persona diuina suæ humanitati vrita: hæc enim indiuiduè Deum atque vnitam personam diuinam comitantur: quare à Christo inabdicabilis est, atque in homines pure intransferibilis: Ergo sola potest esse potestas gratiæ habitualis, atqui hæc potestas, & vis sacramentalis eadem nihil aliud est, quam vis, & potestas meritiue effectus sacramenti, quod nomine proprio conferitur baptizato: ergo in gratia esse potest vis meritiue gratiæ conferendæ baptizato, qui effectus sacramenti est indigno conferendus: esset autem eiusmodi vis, & potestas in gratia, cum hæc à Deo in id ordinaretur, atque acceptaretur; vel cum plenitudo gratiæ conferretur alicui, vt supra S. Thomas aiebat: quo in casu ratio alia adesset: scilicet, ne ex magno augmento gratiæ dignificantis præmium impediretur, redereturque impossibile: cum enim qui gratiæ plenitudinem, siue quam maximam potest, præhabet, nequeat in se vltiorem gratiam recipere, id procul dubio inferretur si nequeat recipere in alio.

4 Sed iam de quouis gradu etiam remississimo merito, atque remississima gratia habituali ad præmium supernaturalis dignificato, ostendendum est natura sua, æque ad præmium supernaturalis gratiæ alienæ, atque propriæ posse esse condignum, si adsit voluntas cedens, seu concedens præmij receptionem in alterum. Atque in gratia adoptionis, quæ modo est, probatur primo ab absurdo. Inferret enim neque Christum pro vilo nostro debito potuisse satisfacere, neque quidquam nobis supernaturalis promereri in aduersariorum sententia. Etenim per hoc forma dignificans opera ad id solum, eique tantum dignificat, ad quod ipsa secundum se ius, semenque est; atqui forma dignificans opera Christi secundum se sumpta, ius, semenque est ad bona paterna ipsi, qui eam habet, & non extraneo subiecto: ergo solum dignificat opera Christi ad merendum eadem bona paterna humanitati operanti; non autem nobis. Maior est aduersariorum principium, quo negato causa prorsus cadet, Minor probatur: gratia dignificans opera Christi est gratia filiationis naturalis Dei: aut gratia filiationis naturalis Dei secundum se solum est ius, & semen ad bona paterna, seu hereditatem paternam subiecto cui inest, non autem extraneis: ergo forma dignificans opera Christi secundum se solum est semen, & ius ad bona paterna humanitati, cui inest, non autem nobis. Maior est dogmatica; minor per se nota. Ius enim naturale, siue ex natura subiecti ad bona paterna habitum solus filius naturalis habet; at solus est filius naturalis, cui inest filiationis naturalis (nec enim filiatione mea naturali filius naturalis patris mei, alius esse potest, aut ius naturale ad patris mei hereditatem habere.) Ergo filiationis naturalis solum est semen, & ius ad bona, seu hereditatem paternam subiecto cui inest.

5 Confirmatur: quia ius filiationis adoptiue ad hæc

hæreditarem paternam, ac bona patris adoptiui est imitatio iuris naturalis filij ad paternam bona & hæreditatem, in eo solum dissimilis, quod natura ipsa hoc parat filio, aliud verò affectu adoptantis, & iure gentium, seu ciuilitati: qui ius filiationis adoptiui ad bona paternam est per te ius ei tantum subiecto, cui inest, ac non alteri: ergo ius filiationis naturalis ad bona paternam tantum est ius subiecto cui inest, ac non alteri. Ad eò hæc omnia perspicua ad hominem sunt, vt non videantur quid solidè, ac verò similiter pro aduersariis respondeam: sed dices, maiorem illam primam de forma solum dignificantem, quæ gratia adoptionis sit, atque dignitatis finitè esse intelligendam; non autem de filiatione naturali, quæ infinitè dignificat opera, atque ad omnia præmia absolutè possibilis, cuiusmodi sunt præmia supernaturalia à Christo Domino in aliis, nobis scilicet recipienda. Contrà primò: Idèd per vos non dignificat filiatio adoptiua ad præmium in aliis recipiendum: quia secundum se est solum ius & semen ad gratiam & gloriam filio adoptiui, seu subiecto, cui inest: atqui hoc non habet ratione finitatis, neque id admitteret ratione infinitatis per impossibile filiationi adoptiue aduenientis: sed ex prædicato filiationis: ergo nulla est solutio: vrgo: Pone infinitam gratiam, & secluse per impossibile rationem filiationis ab illa, & proba, vel rudiusculo Theologo, secundum se respicere bona paternam Dei determinatè subiecto soli cui inest: ergo finitudo vel infinitudo filiationis licet auget, euehatque merium ad amplius maiusque præmium: in eo tamen ordine, quo ab ipsa respicitur, nempe habenti ipsam: non autem in ordine, in quo ab ea non secundum se respicitur, nempe non habenti ipsam in suis principiis sed iam principia illa in gratia adhuc adoptionis falsa esse ostendebamus, probemusque gratiam adoptionis dignificare opera subiecti operantis non solum ad ea, quorum secundum se ius semenque esset, quæque secundum se respicere aduersariis dicitur: sed ad alia etiam iura. Et primo ex his, quæ de facto sunt, certa: Deinde à priori explanatione eleuationis operum honestorum à gratia habituali operantis.

6 Gratia habitualis dignificat de facto honesta opera iustorum, ad id, quod ipsa secundum se non respicit, cuiusque secundum se, nec ius, nec semen est: ergo non solum potest dignificare iustorum opera ad ea, quæ secundum se respicit, quorumque semen, & ius est; sed & ad alia plura. Antecedens probò: Gratia dignificat iustorum opera ad præmium vterioris gratiæ iustificationis: atqui gratia antecedens dignificans opera secundum se sola non est semen & ius ad gratiam vteriolem per omnes: alioquin habito primo gradu gratiæ omnes haberentur. Ergo gratia habitualis dignificat iustorum opera de facto ad id quod ipsa secundum se non respicit, cuiusque nec ius nec semen est. Nec refert benè operantibus iustis dari vteriolem gratiam, quia cum bona iustorum opera vterior sanctitas sint, quibus iustiores reddantur, eis physice transactis aliqui debet dari, vt sanctiores, iustioresque habitualiter sint. Contra primò, quia si cur mortale actuale iniustitia est, eoque transacto, & non retractato peccator, & iniustus habitualiter est, qui illud commisit, quin alio physico habitu egat, vt peccator habitualiter perduret, ita ex vteriori iniustitia actuali operum iusti sine alio physico habitu ex eorum retractato exercitio, ac non retractatione, sine nouo physico habitu, qui illam exercuerit, iustior permaneret. Contrà secundò, quia licet effectui gratiæ vterior inferuiat; at operibus iusti gratiam vteriolem vt præmium responderet, communis est Theologorum & Ecclesiæ sensus & qui sine temeritate vt minimum negari nequeat, id quod satis est, vt minor consistat. Secundò quia doctrina hæc solum euincitur opera iustis ad eum effectum gratiam habitualem respicere, non autem gratiam dignificantem vteriolem aliam transactis operibus concedendam. De primo quidem non curabat minor; sed de secundo. Iam verò si ad alia, quam ad quæ est semen, & ius gratia habituali opera dignificat, cur non, & alteri il-

la parare posse, nec solum subiecto proprio, cui inest; denique principium illud adeò falsum est, vt sit prorsus impossibile: etenim quod alio titulo possessione, & iure meum est antecedenter ad opus meritorium operis præmium esse non potest. Neque enim eo quod meum est, mihi que aliis debetur, præmiò: vt g. paternam hæreditate, ad quam ius habeo, non præmiò ob præstita patri obsequia: sed aliis pro quibus libera est patris dispositio; atqui ea, ad quæ gratia habitualis, ius semenque est, mea sunt iure ipsius gratiæ, antecedenter, & independenter ab opere honesto subsecuto, & per illam dignificato: ergo eis ipsis mihi non præmiabitur, sed rebus aliis, vel alteri concessis.

7 Sed res hæc clarius deprehenderetur, si exactè eleuationis operum honestorum per gratiam ad præmium supernaturale explicatio tradatur. Qua in re eminentissimus Magister, & Cardinalis de Lugo typis nos antequam disputatione 6. de incarnatione, sect. 1. à num. 5. Neque enim ita à gratia nostra opera eleuari censendum est, vt intrinsecus eorum valor in alium mutetur amplior: Tum quia & hic illorum honestati, bonitati que immutatè identificatur: tum quia id esset eorum valorem destruere, non eleuare: tum quia si valor, vel prorsus, vel præcipuè à gratia habituali operibus accederet, quo plus gratiæ esset in operante non solum æquè intento, sed remississimo, & imperfectissimo operi plus adesset valoris: quod absurdum vt videret, in mox subiiciendam cogitationem incurrit. Idem igitur intrinsecus valor remanet in opere eleuato: sed quia augetur ex gratiæ habitu dignitas operantis, Deumque authorem supernaturalem respici ab illo facit, sit vt opus illud, quod magnum de se præmium suo valore intrinsecus merebatur naturale tamen tantumdem, sed in alio ordine rerum supernaturalium mereatur: quia naturalia omnia, cum respectu ad Deum supernaturalem præmiantem, tum respectu dignitatis supernaturalis, quæ est in operante, non magnum quidem, sed fordidum, & nullum præmium esset: præmijs enim magnitudo æqualis eriam, & condigna penes dignitatem præmiantis, & præmiandi taxanda semper est. Suadeant exempla vulgaria: dedit æquali plebeius poma, totidem redditis præmiatur; dedit Regi, nec duplis ab hoc redditis ad æqualitatem remuneratur; sed dono ampliori præstitit item Regi obsequium puta facinus militare, plebeius: præstitit tantumdem Princeps vir, vel filius Regis. centum, vel mille, si velis, scutis dignè remuneratur plebeius: Princeps autem neque toto regio ærario, sed altioris ordinis rebus, quam pecuniaria, præmiari à Rege potenti, & munifico condignè solummodo potest. cum ergo per gratiam adoptionis adeò dignitas hominis augetur, vt Dei optimi maximi filius sit, ipsumque vt authorem supernaturalem respiciat, eique vt tali opera dirigi faciat, quæ magnum quidem valorem, magnoque premio dignum habeant, atque ipsum in rebus ordinis naturalis, quas & ipse Deus præmians, & filius præmiandus nauici faciat (vt propterea canticorum 6. n. 10. *Hortus dicitur meum*) nihilque dignitate operantis filij, & præmiantis Dei attempta mediocri adhuc æstimatione inueniatur, ad res supernaturalis ordinis recurrendum Deo est, vt condignè præmiet, & quo opus maius nobilibusque sit, ad plura atque maiora.

8 Vnde constat primò gratiam non dignificare opera quatenus semen est gloriæ, iusque ad hæreditatem Dei paternam: quæ filiationis passionis, formaliter saltem sunt: sed quatenus filiatio adoptiua auget dignitatem operantis, quam si absque eo iure auget, æquè dignificaret, sunt Principis vni, aut Regis alterius dignitas, nullum ius hæreditarium aliudvè dat ad Regis alius bona, & tamen illius in hunc eleuat ad præmium obsequia, vt præmia, quæ respectu inferiorum similiter operantium æqualia essent, & condigna, respectu tamen Regis operantis æqualiter præmia non sint, nedum condigna præmia. Constat secundò iustum operantem ius sui meriti in alium transferre posse, si velit vt præmium recipiat, licet suum meritum, atque operis laudabilitatem

bilitatem, in eum nequeat traducere: hæc enim opus indiuiduè comitantur, neque in alio quam in operante esse possunt: quare neque laudabilem merentemque fibere possunt quem nequeunt operantem constituere. Quæ duo quia nec Vasquez, nec recentiores Complutenfes distinxerunt in suo discursu errarunt, atque ex merito congruè gratiæ aliæ malè vexantur. In quo asseruatis necessariò operanti laudabilitate, & merito operis, ius recipiendi præmium in alium transferri posse fatentur: ex quo satis infertur iustum etiam operantem quoad receptionem præmij ius suum in alterum posse transferre, etsi meritum, & laudabilitatem operis nequeat. Confirmatur: quia potest quis cedere simò quotidie ceditur ius aliis ad præmium naturale recipiendum à Rege ob egregia facinora, licet eorum laudabilitas, & meritum inseparabilia ab operante ipso sint, imò, ad recipiendum à Deo supernaturale præmium merito iusti congruè respondens. Cùm autem eleuatio meriti per gratiam id solum præstet in ordine ad præmium, vt æquale imò aliquod adhuc præmium in naturalis ordinis rebus non inueniatur, potestatem cedendi ius alteri ad præmij receptionem non tollit. Tunc autem alter ille, qui præmium ex iure sibi cesso reciperet, non præmiaretur formaliter; sed materialiter, cedens verò formaliter præmiaretur in illo: quia cedentis solum, non recipientis est meritum, quod præmiatur. Iam verò claret, quo pacto possit quis cessione sui iuris quoad præmij, vel totius, vel partialis receptionem auxilium ad actum contritionis alteri promereri: quare, & posse eam absolute sine condonatione, aut remissione Dei haberi à peccatore, ac meritorie proinde pro merito carenti auxilio grauis peccatoris satisfieri.

9 Quod si dicas indignitatem recepturi auxilium peccatoris obesse condignitati meriti alterius iusti pro illo, probabis quidem maiori merito opus esse, quam si iusto daretur, cum ea indignitas infinita non sit, neque subiectiuè operanti adit; sed ex parte obiecti solum. Pone ergo iustum feruentissimo charitatis actu meritum sibi fuisse quatuor, vel quinque gradus gratiæ, & gloriæ, cedereque ius in peccatorem, vt præmium recipiat; decuratur tamen, quantum eius indignitas vetat. An non satis decurratur, si minutulæ entitatis auxilium detur in totum tanti operis præmium? sin autem, multiplicentur siue ab illo, siue à pluribus iustis actus feruentissimi, quovisq; perueniatur ad condignitatem auxilij indigno collati atque inuenies ad satisfactionem pro debito obiectiuo carenti auxilio grauis peccatoris purum, vel puros saltem homines esse satis: quare ad id incarnatione opus non esse. Mitto aliam Ripaldæ supra sect. 3. solutionem, siue solutionis datæ impugnationem: quia nimirum, vt hi admittunt, potest gratiam coniunctam cum amicitia Dei alius innocenti promereri, quæ vt coniuncta cum amicitia, & filiatione adoptiua Dei maius quid atque æstimabilius donum est, quam meritum gratiæ peccatori seiunctæ, vt potest ab amicitia, & filiatione Dei. Ergo gratia collata sine amicitia, & adoptione Dei non excedit meritum condignum iusti, etsi indigno peccatori conferatur. Confirmatur: quia præcipua resistentia peccati, est ad donum amicitia, & filiationis adoptiua Dei, licet eum à reliquorum beneficiorum donatione, etiam aliquatenus retardet. Ergo in aliorum collatione, hæc totas, nec præcipua mortalis resistentia vincitur; imò neque impugnatur, si seiunctim ab amicitia, & filiatione adoptiua Dei dosentur: quare nec tanto impetu amoris opus est, quantum ad totam resistentiam mortalis superandam opus esset, nec tanta item vi meritoria, quanta opus erat, vt tota, ac præcipua vis resistentia mortalis superaretur. Et quidem sicut ad retardandum amorem, atque ad malorum composibilitum cum amicitia inflectionem condignè merendam sufficit malitia minor, quam mortalis scilicet venialis malitia, ita ad retardandam Dei inimicitiam, & odium in peccatorem, ac merendi de condigno bonum, seu donum Dei, quod cum amicitia

Dei absolute componitur bonitas, & meritum, longè minus, quam sit malitia, & demeritum mortalis satis est. Mitto inquam argumentum hoc ratione falsè suppositionis, quod scilicet gratia habitualis actu possit inherere, quin Dei amicum, & filium adoptiuum formaliter constituat, quod falsum reputat Vasquez, & aduersarij, imò, & communiter Theologi: nihil enim aliud est gratum Deo, eiusque proinde adoptiuum filium esse, quam gratiam Dei habitualement habere. Quocirca hanc infundi à Deo non posse, nisi præsupposita grauis actualis peccatoris siue eius qui actuale mortale commiserit, retractatione actuali ostendebamus fusè controu. de gratia formaliter iustificante. Cæterum argumentum hoc gratiæ auxilianti, de qua nunc agimus applicatum, suum habet errorem. Reliqua, quæ tam Ripaldæ, quam Durandus, Suarez, & Granadus citatis locis pro merito condigno gratiæ habitualis vnius iusti alteri peccatori concedendæ conseruerunt, habens prætereo: quia præsentis instituti non sunt, propriaque controuersia de merito prolixius à nobis examinantur.

10 Sed esto: dignificet gratia, quæ nunc est, opera iusti, ad ea solum, ad quæ ius, ac semen est promerenda subiecto solum cui inest. Non pugnat conerdictio cum prædicato gratiæ filiationis adoptiua prædicatum gratiæ capitalis, seu gratiæ capitalis respectu aliorum. Sed tunc licet ex prædicato filiationis esset ius ad bona paterna, illudque operanti tribueret, ex prædicato tamen gratiæ capitalis esset respectiua bonorum, & gratiarum membris suis conferendarum; ergo, & dignificaret subiecti opera ad gratias membris suis, scilicet: aliis hominibus promerendas, ac proinde auxilia ad contritionem dari illis, si peccassent, ex merito ipsius possent. Dices esse repugnantiam: quia filiatione adoptiua dat ius ad bona paterna Dei, subiecto, cui inest, tantum, cum quo pugnat respicere bona Dei aliis concedenda. Contra: etsi filiatione adoptiua det ius ad bona paterna Dei subiecto cui inest; tantum qua filiatione adoptiua est, non pugnat eam re ipsa coniungi cum alio prædicato, quod respiciat bona Dei alteri danda. Sic licet animal formaliter sit principium substantiale sentiendi tantum, non pugnat coniungi re ipsa cum principio ratiocinandi: quia tantum per formalitatem non est idem, ac tantum per realitatem. Quod autem prædicatum filiationis adoptiua non dicat tantum per realitatem, vt sua etiam realitate excludat essentialiter respectum ad bona Dei aliis concedenda. Probatur primo: quia id non excludit filiatione naturalis humanitatis Christi, licet qua talis strictissimum ius sit ad bona omnia paterna filio, cui inest determinatè. Secundo, quia filiatione adoptiua ius tantum est ad bona Dei non omnia, sed aliqua subiecto, cui inest, seu filio adoptiua: quare licet hæc filio tantum respicere re ipsa posset, ac proinde pugnet quod alteri etiam concedenda eadem respiceret; at alia plura, præcipue sanctas cogitationes, actus nimirum vitales aliorum, qui ipsi sunt impossibiles, non respicit, vt hæreditatem, ac subiecto cui inest; ergo aliis posset respicere. Dicitur secundo pugbare quia respicere sibi, & aliis proprium est dignitatis infinitæ filij naturalis Dei, sed hoc est magis præclusum. Secundo, respicere sibi, & aliis bona finita non est proprium dignitatis infinitæ, vt patet.

11 Adeo autem factu possibile hoc est, vt ne iudicem, vehementer tamen suspirer huius generis gratiam, in quo vtrumque hoc prædicatum coniunctum sit, Virgini matri fuisse concessum, qua nobis de factis, quia capitalis, & matris peccatorum gratia erat, auxiliata pleraque alia erat promerita. Etenim consonè Patres illam redimendi filio (non ex huius indigentia quidem, sed ex tantæ matris honore) adiutricem, & corredemptricem passim appellant. Id quod nisi auxilia, & gratiam peccatoribus promerenda fieri posse non capit, & merito quidem condigno, quod sine gratia dignificante ipsius opera ad meritum pro aliis euenire non potui: quocirca vel recurrendum est ad materiam

maternitatem Dei, quæ forma sanctificans sit, ut Ripalda suspicatur, vel asserendum gratiam omnem habitua- lem habere verumque prædicatum coniunctum, atque indifferenter dignificare opera ad præmium nobis aut aliis dandum, ut cedere possimus in alium ius nostrum, verem, quæ in præmium condignum nostris operibus respondet, accipiat, ut hæcenus ostendimus, vel saltem in gratia habituali Deiparæ coniunctum speciali- ter verumque prædicatum fuisse fieri necessum est; ita enim nos erga pienuissimam Puerperam amor, materni- tatis Dei dignitas, atque matris peccatorum munus co- gitare compellunt. Vnde constat quàm infirmè obi- ciatur. Nemo hæcenus auxilium gratiæ alteri de facto est promeritus; ergo nec potest purus homo illud alteri promereri. Antecedens quàm sit dubium in Maria constat, consequentia nulli non videbitur mala: sic enim poteris inferre: Neminem quantumvis iustum au- xilium gratiæ sibi promereri: quia de facto nemo illud sibi ipsi fuit promeritus. Potest autem ex Deo statuente in præmium bonorum operum solum dare ex super- naturalibus rebus gratiam, & gloriam id promerere. Se- cundo, quia gratia habitualis, quæ nunc est solum signi- ficatiua operum ad præmium supernaturale subiecto, cui inest tantum, ut tu contendis. Denique pro conclu- sione hæc efformari efficaciter potest argumentum illud de persona creata satisfaciente nomine, & auctoritate personæ diuinæ.

CERTAMEN IV.

Præcipua difficultati à ratione & Patribus de necessitate Incarnationis ad satis- factionem pro nostris pec- catis sit satis.

EX his quæ tota hac controuersia dicta à nobis sunt concludi videtur pro toto mortali eiusque debito, etiam obiectivo, à pura creatura absolute posse satisfieri: Nam pro macula & offensa ipsius ab vnoquoque ex Dei gratia posse satisfieri, licet non ex rigore iustitiæ, (quomodo, neque Christus satisfecit) supra ostende- bimus. Item pro toto etiam debito penali siue obiectiuo, si debitum carendi auxilio ad contritionem exci- piat, nunc autem quaestione præfenti adhuc pro debito hoc carendi auxilio necessario prærequisito ad contri- tionem peccatoris, quo reliqua solueret, posse puram creaturam satisfacere docuimus. Quare incarnatione, ut pro toto etiam mortali, eiusque debito satisfieret, opus absolute, & simpliciter non esse, videtur concludere. Hoc autem est contra communem Patrum quos doctè expendunt præ aliis Vasquez d. 4. c. 3. Bernal. d. 3. sect. 2. §. 2. n. 29. Item contra communem Theologorum om- nium sensum, à quo non nisi temerè licet recedere, ergo tota harum disputationum doctrina nostra nequit simul sustineri. Cæterum quoad Scholasticorum auctoritatem puram attinet, falso omnes pro opposita referuntur, cum necessitatem Incarnationis ad satisfactionem pro mortali etiam aliorum neget Scotus in 3. d. 20. §. contra eam, & §. contra illud. Eaber ibi d. 47. c. 2. Vega 3. in Trid. c. 5. & l. 7. c. 9. & communiter Scotistæ hæc de satisfac- tione per modum meriti. Ripalda ferè tota d. 96. se- cundo, cum pauci Scholastici solum in conclusionis vnus defendendæ conueniunt, aliis multis reclamanti- bus, multoque efficacius impugnantibus, quàm ipsa à suis patronis fundetur, non multum ponderis est, quo- minus qui omnes simul eorum rationes perfringere ef- ficaciter possit, ab eis etiam in conclusione possit recedere: nam horum auctoritas non maior, quàm eorum ratio est: quorum si rationes omnes singulatim multis aliis Theologis displicuisse videmus, omnes simul au- thoritate orbatas deprehendimus: quare & Theologia

R. P. Christoph. de Ortega, de Dei incarnat.

auctoritate nudam conclusionem, aliis nimirum Theo- logis aliorum auctoritatem vicissim eneruantibus: quin vbi tanta, tamque aduersa varietas rationum est, satis dubiam, suspectamque facit conclusionis veritatem; certamque fidem, Theologos non iudici proprio, quàm Patrum religione in eam sententiam conuenisse.

2. Jam verò quoad Patrum atinet auctoritatem, cum rationibus solum aguntur (vbi in præfenti, si neces- sitatem physicam, vel metaphysicam incarnationis ad satisfaciendum pro mortali absolute docuissent, age- rentur) amplior quidem, sed non irrefragabilis au- thoritas est, nisi eis etiam omnibus in conclusionis eiusdem ratione conueniat. Nam tunc, & superiori spiritu aflatos loqui vehemens iudicium est. Quare si plurium, neque aliis Patribus repugnantibus, eadem, & ratio, & conclusio foret, tunc quidem docto, pio- que Theologo, & in conclusione, & in ratione subscri- bendum esset. In reuero præfenti Theologi non Patrum rationibus nimis adhaerent, sed quisque ferè suam comminiscitur: neque Patres omnes, vel plures reddunt ean- dem, ut mox videbimus. Tertio Patres sæpè, cum ad populum conciones habebant, non ita rigidè loquebatur, sed eis utebantur rationibus, quæ ad auditorum captum videbantur aptiores; quæ si rigore scholastico examinentur, nutant non semel: id quod, & nunc cordatus quisque concionator præfere debet, nosque ipsi, qui infinitatem, magnitudinemque offensæ mortalis ex dignitate personæ offensæ vilitateque offendentis non rectè supputari putamus, sæpè tamen in eadè ad con- tritionem, & solum auditores egimus è suggestu quia licet non adeo solida, & rigorosa vîsa nobis sit, capta tamen est facilius; atque ad ingenerandum grauitatis quæ est in mortali, horrorem, quem iustè intendimus accommodatior, quin Deus sæpè, ut peccatores deter- reat, rationibus popularibus, nec solum efficacioribus in Euangelio, & veteri testamento fuit vsus. Et merito quidem: nam cum oratoris minimè sit intentum suaderè rationibus non solidioribus solum, sed ad sua- dendū eis, ad quos orationem habet, accommodatiori- bus vti debet. Solum ergo Patres de rebus fidei, dogma- ticisque stricta ratione, vel disputando cum hæreticis, vel instruendo fideles agebant, rigidioribus rationibus vsos fuisse certum esse debet: tunc enim magistros age- bant, quorum est solidè, ac rigidè, intellectum discipu- lorum instruere, atque aduersariorum conuincere.

3. Denique moneo sæpè, ut Patrum proprias sen- tentias aliquot in scholas induci, in fide, ut aiunt ma- iorum, cum vix scholasticus aliquis ex his qui Patrum esse indubitato docent, eorum textum viderit, contextum expendit, occasio nem, qua recitata ex ipsis verba circumferuntur, sunt prolata obseruare, an denique decurtata verba truncatavè sint, contulerit. Id quod sæpè alias, atque hoc præferti opere deprehendimus non semel, vbi à censuris grauib, quibus notaban- tur à Theologis, opiniones plures vindicamus. Nec mirum, cum eò iam Theologia scholastica redacta sit, ut totum negotium discursibus inanibus, philophi- cisque nugis transigatur; solida verò scripturæ, & Pa- trum fundamenta negligantur, nec nisi perfunctoriè, & tumultuariò sine meditatione ex aliorum chartulis legantur, atque in chartas recitantium transcribantur: cum Theologum virum discursus acutos graues oporteat facere, sed solida in primis auctoritatis fundamen- ta non omittere. Ad rem igitur nostram de Patrum auctoritate circa absolutam physicam, seu metaphysicam incarnationis necessitatem, censeo falsò pro ea illos ab scholasticis recitari, tum quia id eorum rationes non intendunt: quia id eorum rationes non intendunt: tum denique quia truncata aliquorum loca circumferun- tur: Quare meritò noster Petrus Vvadingo acutus comprimis Theologus, doctusque controuersista non cum secundis nimirum proinde in patribus, & Con- ciliis versatur disputatione 1. de incarnatione dub. 6. §. 2. numero quinquagesimo nono, vers. *Probari solet ex Patribus, merito dixit: Patrum testimonia, quæ ad neces-*

Bbb fratrem

fratrem absolutam incarnationis ut pro mortali satisficeret, circumferuntur, neque firma, neque ex re esse ita ille vniuersim docuit de omnibus, nos autem singularum de vrgentibus locis ostendamus.

4 Primus est Cyrilli epistol. 1. seu Exegesi de verbi incarnatione tom. 6. Concil. Ephes. cap. 1. ante med. ubi contra Nestorium, qui in Christo hominem gratia ornatum, Deo tamen verbo physice exunitum fuisse asserbat, contendit non fuisse exunitum Physice verbo, purumque hominem: quæ passione sua pretium iustum pro peccatis hominum soluere non posset, si *perpeffionem illam puri cuiuspiam hominis esse dicamus*. Quid vrgentius? Sed non promit: Nestorius enim hominem Christum naturali propagatione ex Adamo conceptum, quare ex eadem, qua nos, perditionis massa, fermentoque originalis culpæ in sua conceptione acidum, licet postmodum gratia ornatum fuisse asserbat, teste eodem Cyrillo 1. de recta fide ad Reginas cap. *Quod redempti sumus per sanguinem Christi; Asserereque tenebatur, ut ait Photius constantinopolitanus epistol. ad Michaëlem de septem Synodis t. 1. Concilior. à Vaquez obiectus*. Nam si Christi humanitas exunita à diuinitate, qua à peste originis præseruata est ex Adamo propagaretur, *eam propriis morbis laborantem reliquisset*: Verba sunt Photij, Si ergo ex naturali sui conceptione mortale Christus purè homo contraxit, iuxta Nestorij errorem, & sensum, solidè, ac strictè redarguitur non esse hominem purum; sed Deo vnitum, quandoquidem pro omnium hominum peccatis iustum, & adæquatam prætium dedit: nam si exunitus conciperetur ex Adamo, mortale originis haberet suæ, quod gratia illa maxima data indigno, & peccatori aboleretur: quare in suo peccato abolendo Dei esset condonatio, & remissio, ac proinde non esset in eius passione iusta æqualisque pro omnibus peccatis hominum, ex quibus remissum condonatumque fuerat suum, solutio, & satisfactio.

5 Obiicitur Adrianus Pap. 1. epistol. decretal. ad Episc. Hispan. col. 4. fin. in hæc scribens: *Sicut peccata nostra non tollerent, si ipse peccatum haberet, ita adoptionis gratiam nobis non tribueret, si ipse propter hominem, quem assumpsit sine sordis peccati necessarium egerit, ut gratiam adoptionis acciperet*: quibus videtur clarè docere non minus repugnare satisfactionem hominis puri Christi sine vnione, sed sine sordis peccati, & cum gratia adoptionis, quam si cum peccato esset: sed certè si locus non truncatus, sed cum contextu legatur, nihil tale docet. Etenim Adrianus ibi illud Augustini effatum: *Adoptatos nos esse per gratiam ipsius, qui peccata solvere venit*, commentans subdit: *Quomodo per illius gratiam nos sordibus adoptati, si ipse confors nobis in adoptionis gratia fuit? Credamus ergo, quod dici nefas est participem etiam nobis in causa peccati, hominem Christum: nam sicut peccata nostra, &c.* Itaque Adrianus contra Feluis, & Helipandi errorem eo loco arguit tanquam contra consequentiæ vi Nestorianum, adoptatum, non posse esse hominem Christum, nisi Dei Filius naturalis, ac Deus non sit. Tunc autem cum purus homo esset ex naturali propagatione Adami non solum in gratia adoptionis, sed in peccato etiam nobis fore participem, quare sicut in peccato existens peccata nostra non tollerent suum, nisi gratia aliqua, condonatio, & remissio ipsi ferret, ita neque totum genus humanum adoptari mereretur licet gratiam adoptionis antea recepisset, qua, ut à peccato quod contraxerat, mundaretur, Deique adoptiuus filius fieret, æquifere; nam iam in ipsa gratia antecedenti donatione sui Peccati condonationem, ac remissionem supponeret: quare hominum peccata adæquatè non solueret, nec suam gratiam promereretur. Illud itaque *sine sordis peccati*, non ad hominem qui ex adoptione purus in Christo conuincetur, sed ad eum qui in Christo verè fuit Deo vnitus, ac verus simul Deus, referendum est. Idem est Concilij Francfort. sensus col. 4. sacrosyllabi, ubi Adriani verba transcripsit.

6 Eam ob rem Fulgentius, Ambrosius, & Augustinus sæpè docent non posse purum hominem, aut hu-

manam naturam non vnitam hypostaticè homines redimere, aut à peccato liberare, quia in ea hypostasi peccato esset infecta. Quo etiam foras se sentu Augustinus primo de peccator. merit. cap. 14. rectè dicit: *Ab ad Rom. 5. Ita per vnium iustificationem in omnes homines, &c.* non autem per vnium iustitiam: hæc enim imitatione poterat illi adesse, quin esset causalitate, sicut per Christum in nos. Possent enim esse multi iusti imitandi: *Iustus autem, & iustificans, nemo nisi (Christus) quia reliqui (excipe Virgine) peccatores: Quisquis ergo eius fuerit dicere, iustifico te, consequens est, ut dicat etiam: crede in me*. Quamquam hic autoritatem iustificandi, & remittendi offensam tanquam iustitiæ auctorem, & offensæ remissorem, & condonatorem (quod soli homini qui Deus esset, poterat conuenire) in solo Christo homine fuisse contendit Augustinus, ut docet Ripalda disputatione nonagesima sexta, sectione sexta, numero sexagesimo-tertio, versus fin. Etenim in humanitatem adhuc, ut hypostaticè vnitam, quæ meritò, & satisfactoriè superabundanter nos redemit, & iustificauit, credere non tenemur, sed in personam verbi ipsi vnitam, quæ Deus est, non autem humanitas, quæ etiam ut vnita, Deus non est.

7 Opponitur Proclus Zizicenus homil. de Christi nat. tom. 6. Conc. Ephes. c. 7. sic effatus: *Homo quod peccati debito subiaceret, saluare se non poterat*, ob rationem proxime factam: *Angelus vero quod tantum redemptionis pretium ipsi non suppeteret, humanum genus redimere nequebat*. Sed si posset pura creatura gratiæ auxilium ad contritionem promereri condignè peccatori, ab illa creatura, & à peccatore pretium peccati suppeteret: ergo censet Proclus id puræ creaturæ meritis præstari non posse. Resp. Proclum fortasse de prætio rei oblatæ, non autem merito fuisse locutum, ut plures Patres loquuntur sæpè. Secundo id solum quæsisse, ut ab vno fieret satisfactio pro mortali; imò pro mortalibus omnibus, asseruisseque ad id ab vno sine homine, sine Angelo præstari non posse: quia ab homine vno, nec pro suo mortali, in quo necessariè erat, poterat sine vna omnino condonatione satisfacti, ab Angelo autem, licet iusta non poterat pretium adæquatam solui pro peccatoribus: tum quia sine huius retractatione peccatum aboleri non poterat: tum quia meritum auxilij vnus, vel plurium non erat meritum omnium, quibus peccator carere ob mortale debebat. His autem opponitur quod si & Angeli meritum, & peccatoris contritio iungantur, fiat adæquata mortalis vnus satisfactio: at verò pro omnium hominum innumeris peccatis, in Angelo vno virtus satisfactiua non eratisimo neque in pluribus moraliter loquendo: quare morale necessitatem incarnationis, ut summum docuit Proclus; quam ne non quidem negamus; sed physicam, aut metaphysicam. Neque aliis est sensus auctoris de Cardinalib. Christi operibus apud Cyprian. & Leonis serm. 1. de nat. & 12. de Pascha, ubi aliam subdit rationem: quia mediator ad inimicos componendos medius vtrique esse debet, & a mitti.

8 Denique opponens Athanasium serm. de nat. Christi: *Non homo se ipsum pro nobis obtulit: neque id potuit fieri per vllam creaturam*; nempe si adæquatè pro nobis satisfaciendum sit. Nisi aliud adderet, responderem loqui de satisfactione adæquata per rem oblatam, non per meritum. Sed subdit Athanasius rationem: *Quia omnis creatura de mutabilitate suspecta est*. Quibus licet illum sensum excludat alium tamen aperit nobis amicum, non aduersum: nempe necessariam fuisse incarnationem, ne redemptio ex peccabilitate antecedenti puræ cuiusvis creaturæ de se ad malum mutabilis foret antecedenter intentas; sed potius ex humanitatis vnitate impeccabilitate antecedenti firma prorsus, & in se, & in nostra æstimatione maneret: acutè enim ad rem hanc ait Irenæus 3. aduers. hæres. *Nisi Deus donasset salutem, non firmiter eam teneremus*; Hanc verò necessitatem, & nos fatemur, sicut & puræ creaturæ in proposito reparationis nostræ mutabilitatem, quæ nostram spem labefactaret.

9 A ratione opponens: Potest quis mereri de confidendo

admissa à Lugo absoluta possibilitate nostræ satisfactio-
nis pro veniali ad nostram satisfactionem de facto,
quam ipse negat pro eodem, Nihil enim aliud haberet
contritio perfecta, quia in illo casu absolute possibi-
litate faceremus pro veniali satis, eiusque maculam
elueremus, quam contritio perfecta de veniali, qua
ex Dei amore super omnia de facto sæpè veniale de-
testatur. Ergo contritioni, quæ de facto est pro ve-
niali, satisfacere de facto possumus; ac proinde altera
sententiæ huius pars alteri repugnat.

4 Pro mortali vero à se commisso, vel admissio cum
inadvertentia Dei etiam præcipientis, & offensi Car-
dinalis idem disputatione quinta, sectione quinta,
docet à puro homine satisfieri absolute posse: quia ve-
niale solummodo esse putat: quare, & consequen-
ter ad suam doctrinam proximè à nobis datam vide-
re sentire. Cæterum mortale de se peccatum cum
huiusmodi inadvertentia commissum si cætera adsint,
non veniale, sed mortale esse, quæstione quarta,
ostendebamus: ac proinde satisfactionem pro illo,
sicut, & pro mortalibus aliis docet, ab homine puro
docere debebat absolute impossibile. Secundo cum in
huius Doctoris principiis nulla infinita admissio pec-
cato offensa Dei foret, qui eo nullatenus contemneret-
ur, nulla ad Deum posset esse satisfactio: ei enim,
quem nullatenus nulla actione mea offendi, læsivè,
pro illa satisfacere minimè possum. Unde rursus fit,
vt bene Bernal. disputatione quarta, sectione septi-
ma, s. 4. neque Christum posse pro eiusmodi peccato
Deo satisfacere, defectu materie satisfactionis, seu pro
qua satisfaciendum ipsi foret. Nec potest Lugo recur-
rere ad realem identitatem formalitatum maculæ, &
offensæ Dei in peccato illo: tum quia rationem offen-
sæ Dei in peccato illo non admittit, vt diximus: tum
quia si eam admitteret maculæ identificatam, cum
macula de se grauis esse supponatur, & offensa ipsi
identificata grauis esset, etsi Dei præcipientis, & of-
fensi abesse advertentia; eodem quippè gradu macula,
& offensa ipsi identificata auferent: quare sicuti
neque pro aliorum mortalium offensis in eius doctrina
ita nec pro huius offensa satisfieri Deo à puro homine
absolute posset.

CERTAMEN II.

*Vera, & communis sententia probatio
Soarij examinatur.*

1 **I**am igitur communis, eaque vera Doctorum sen-
tentia fert hominem purum ex gratiæ auxilio non
solum absolute posse pro veniali satisfacere; sed & de
facto sæpè satisfacere pro illo. In vtraque conclusione
de possibili & de facto duo fulmina belli conuenere,
Valquez disput. tertia, cap. tertio, Soarius disput. quarta,
sect. 11. quos vtriusque affectus, vulgo sequuntur, &
quoad conclusionem de possibili Cardinalis Lugo sect.
7. citata; Probat Soarius quia licet contritio ad expul-
sionem venialis (cum quo in eius sententia formaliter
non pugnat) nouo Dei illum remittentis fauore indi-
geat; tamen cum magis hominem ad Deum conuertat,
quam ipsum à Deo auerterat veniale, quo si rectè per-
pendatur non tam à Deo vltimo sine auertimur, quam
diuertimur, & retardamur: atque insuper cum sit du-
bio procul præstantius Dei obsequium contritio, quam
sit ipsi insensum veniale, haud dubium, quin contri-
tio sit æquivalens, siue ad æqualitatem de facto satis-
factio. In hac verò Soarij ratione repugnantiam de-
prehendunt recentiores Complureses, quam sic edifi-
caverunt: satisfactio æqualis à debitore præstita creditori
totum ius creditoris se ipsa extinguit: quia cum illud
ad æqualitatem compenetret, si satisfactio fit, ita, & il-
lud totum soluit, & dissoluit. Ergo satisfactio exhibitæ

pro veniali à puro homine ex Dei gratiæ & auxilio to-
tum ius Dei creditoris quæritur Deo ob veniale se
ipsa extinguit ac soluit: ergo implicat vltim fieri
ipsi remissionem venialis à Deo, cum illud de-
pellit.

2 Responderat obuic huic contra suam rationem
difficultati Soarius: statui gratiæ iusti se contentis per-
fectissimè de veniali conaturalem esse venialis illius re-
missionem; at tamen à Deo vt absolute Domino posse
veniale, neque expelli, neque remitti. Sed insunt recentio-
res: quia cum venialis macula posita adhuc contriti-
onis satisfactio in Soarij sententia remaneat, iustè
Deus non solum vt absolute Dominus; sed vt iudex
etiam poterit venialis offensam non remittere, ac
proinde contritio illa non erit pro veniali satisfactio:
quidem, vt diximus, quidquid pro aliquo satisfactio est
sui solummodo positione totum ius ei, cui satisfactio
illo aliquo quæritur, debet extinguere, ac debitum
totum satisfactio soluere. Verum cum in Soarij
sententia satisfactio hæc non sit per formalem in-
compossibilitatem contritionis, quæ satisfactio cum macu-
la venialis; sed per rei æquè vel magis æstimabilis ex-
hibitionem, quam fuerit offensa venialis, poterit in eius
sententia manere venialis macula exhibitæ satisfactio
contritionis pro eius offensa, quin venialis offensa
remaneat: quare poterit Deus absolute vt supre-
mus Dominus maculam non expellere; sed retine-
re, quin possit offensam vt iudex, aut creditor, su-
premutè Dominus non remittere, cum sitam remissa.

3 Virgentius Soarificæ rationis repugnantiam
ostendo: vt contritio sit satisfactio pro veniali, totum
quale quale ius creditoris Dei offensi extinguit: ergo si
Deus libere etiam vt supremus Dominus, vel iudex ve-
niale expellit post exhibitionem contritionis, nihil de
suo iure, quæ offensus veniali illo fuerat, siue de sua of-
fensione remittit: de iure enim quod non habet ali-
quis remittere aliquid non potest. Quo circa pote-
stas illa expellendi contritione exhibitæ, vel secus ma-
culam venialis, non potestas Dei retinendi offensam,
illam remittendi; sed abolendi vel secus maculam:
ac proinde nulla esse potest in expulsiōe maculæ
venialis à Deo remissio: maculæ autem expulsio,
qua maculæ expulsio formaliter est, remissio non
est, quæ solum offensa qua offensa est, esse po-
test, vel ergo offensam à macula non differre forma-
liter, sed esse eandem et formalitatem Soarius admit-
tit, vel admittit esse formalitatem diuersam, si ean-
dem, ac proinde maculæ, qua macula est, expul-
sionem exhibitæ contritione remissionem esse fateatur,
& offensa remissionem intercedere fateatur necesse
est: quod aperte pugnat cum satisfactio pro offensa
veniali, quam in nostra perfecta contritione recog-
noscat? Sin autem diuersas esse formalitates, ac so-
parabiles admittit, in expulsiōe maculæ à Deo
post nostram contritionem nequit remissionem illam
quæ offensa solummodo esse potest, recognoscere:
cum per antecedentem contritionis nostræ satisfactio-
nem tota offensa supponatur soluta.

4 Secundo arguo contra hunc fauorem, & remis-
sionem Dei in expulsiōe venialis post exhibitam à
nobis de illo contritionem perfectam. Si enim libe-
tas illa Dei posita etiam contritione ad expellendam,
vel secus venialis maculam satis est, vt in eius expul-
sione Dei fauor, & remissio respectu eius, qui cum ve-
nialiter offenderat, intercedat: ergo etiam posita nobis
quisque applicita satisfactio Christi pro veniali fauori
& remissioni Dei in eius expulsiōe locus erit. Probo
consequentiam, quia Christus eatenus pro nostris venia-
libus satisfecit, quatenus nobis auxilia ad contritionem
& gratiam, quibus à macula liberaremur; condignè licet
indignis fuit promeritus eatenusque nobis eius satisfac-
tio fuit applicita, quatenus eiusmodi gratia, & auxilia
nobis à Deo ob Christi merita, siue in terra, siue extra sa-
cramenta conferuntur: sed data gratia, & auxiliis efficacib.
positaq; proinde ex meritis, & satisfactio Christi con-
tritione est adhuc in Deo libertas iuxta Soarij doctrinam
expel

expellendi vel secus maculam venialis: ergo & est locus fauori & remissioni Dei in eius expulsionem. Probatur secundo: quia quomodocumque fuerit Christi pro nobis, nostrisque peccatis satisfactio huiusque applicatio, his etiam omnibus postis liberum ex natura rei erat Deo maculam venialis expellere, vel secus: ergo posita satisfactio Christi locus est fauori Dei, ac remissioni venialis, quæ aperte cum satisfactiois ratione pugnant. Dices non esse liberum posito Dei pacto cum Christo satisfactio. Sed in primis in pacto illo Dei erit anticipata remissio. Secundo: illud etiam pactum nobis prodest, ut nobis ex meritis, & gratia Christi de veniali contritis nulla fiat in expulsionem remissio. Dices merita Christi esse valoris infinitè excedentis malitiam & offensam venialis. Contra: quia nec satisfactio nostræ per contritionem locum remissioni, & fauoris facit in venialis expulsionem quod huius maculam & offensam in morali æstimatione non excedat: verè enim excedit in Soarij sententia; sed quod in Deo libertatem expellendi vel non expellendi maculam venialis absolute relinquat, ut idem Soarius aiebat: ergo si hanc etiam relinquit in Deo satisfactio Christi eiusque applicatio fauori, & remissioni Dei in expulsionem venialis locum relinquet.

Denique ne libertas Dei est ad maculam venialis expulsionem posita iusti contritione de illo perfecta, nec si libertas adesse ad fauorem, gratiam, & remissionem in eius expulsionem satis foret. Primum probatur facile in in sententia afferente contritionem formam iustificancem, & sanctificantem esse, quam vero similiores reputo, ostenditque controuersia de gratia iustificante. Etenim contritio perfecta perfecte conuertit formaliter hominem à creatura ad Deum, conformem legi, & dictamini diuino & humano reddit; destruit fundamentum totius malitiæ moralis, quod erat auersio à Deo, & dictamine rationis diuinæ, & humanæ: atqui toto fundamento malitiæ moralis destructo coniunctoque archetypis homine cum Deo per amicitiam perfectam cum illo, implicat manere peccati maculam: ergo contritione perfecta de veniali posita implicat libertas Dei ad expellendam vel secus maculam venialis. Sed est contritio non sit forma iustificans, & sanctificans, in ea & gratia habituali iusti perfecte se de veniali conuertentis ea omnia inueniuntur, quæ in contritione si forma iustificans & sanctificans esse admittatur; adesse: quare ex coniuncto contritionis, & gratiæ habitualis idem argumentum conficitur. Sed esto non sit in his formalis expulsio peccati sed expellenda à Deo liberè pro naturæ posteriori eius macula sit (quamquam vix intelligi possit quid ex parte Dei præstandum de nouo sit, ut macula venialis formaliter & exercitè expellatur, si præfata, quæ in contritione iusti de suo veniali supponuntur, formalem eius expulsionem non contineant) tamen eius expulsio pro posteriori futura, connaturaliter debetur contritioni hominis iusti, eiusque merito condigno; inò excedenti per te: ergo expulsio illa non est fauoris & gratiæ Dei; sed debita & remuneratoria: ergo non est liberalis remissio.

CERTAMEN III.

Nostris Vasquez ratio altera propugnatur.

Alia ratione eandem sententiam probat Vasquez: quia nimirum libera perfecta que nostra de veniali contritio est forma ipsum expellens; in super nullum debitum obiectum supponit à Deo remissum: cum ob veniale dignitatem carenti auxiliis ad contritionem de illo non incurratur: ac denique adeò perfecta esse potest estque in viris sanctissimis de veniali contritio, ut reliquum etiam debitum poenale illius excludat. Ergo libera & perfecta nostra de veniali contritio perfecta est debiti subiecti & obiectiui to-

tius peccati venialis, ac proinde pro toto illo satisfactio. Prima antecedentis pars est doctrina altius fundata à Vasquez locis supra citatis, nobisque probatissima vltima eiusdem antecedentis pars omnium Theologorum est, qui adeò perfectam contritionem de mortali, nedum de veniali, concipi à nobis posse defendunt, ut totum debitum poenale solueret, authenticis historiis, ac testimoniis comprobatur est. Tota ergo difficultas fiat in secunda antecedentis illius parte confirmanda, quod nimirum nullum debitum obiectum ad eiusmodi contritionem elicendam supponatur à Deo remissum in auxiliij ad illam necessarij donatione; eo quod per veniale nullum debitum aut dignitatem carenti auxiliis ad perfectam de illo contritionem incurramus.

Id autem probat idem Vasquez: quia si ea dignitas carenti auxiliis ad se conuertendum de veniali in ipso includeretur, post mortem decedentis in veniali ea dignitas carenti auxiliis seu indignitas habendi illa permaneret, ac proinde & indignitas ingrediendi gloriam, ad quam nisi depulso per contritionem veniali aditus non patet, qui illo impeditur: atqui iustus quiuis gratia decedens habet dignitatem ingrediendi gloriam: ergo si in veniali esset indignitas habendi auxilia ad contritionem de illo, seu quod idem est, dignitas carenti illis esset aliquando simul dignitas, & indignitas ad ingressum gloriæ, quod aperto induat Marte. Ergo & implicat esse in veniali dignitatem carenti auxiliis ad perfectam de ipsa contritionem. Probationem hanc ex ipsius Vasquez doctrina reicere etiam conatur Complutenses recentiores. Posset enim dignitas hæc venialis esse carenti auxiliis temporariæ, siue pro huius vitæ tempore: quæ proinde morte intercedente, quæ hæc vita finitur periret, est veniale perseveraret; cum iam satis passus esset poenæ, quam ex ea dignitate & merito pati debebat. Non secus atque Scorus cum suis in 4. q. 1. Gabriel. 16. q. 5. ar. 3. dub. 2. Vega 14. in Trid. c. 6. Medina Cod. de satisfact. q. 2. Chonink d. 10. de poenit. dub. 6. Gaspar. Hurtado diff. 18. de poenit. disp. 10. & dil. 8. diff. 12. nosque supra docebamur satisfactio poenarum pro venialibus debitarum cessare in damnatis eas patiendi dignitatem etsi maculam venialium, siue venialia actualiter in illis eternè perseverent: quia meritoria illa dignitas poenarum non in sola venialis macula; sed in ea & negatione satis passionis fundatur.

Hoc ipsum ex ipsius Vasquez doctrina iidem recentiores euincere conatur: docet enim Vasquez d. 3. c. 4. §. vlt. gratiam, & merita in hac vita non mereri auxilium de condigno ad contritionem ante mortem, quod tamen adhibita perseverantia ad mortem vsque de condigno merentur quia de condigno merentur gloriam, quam impedit veniale ex Dei auxilia per contritionem eluendum: ut enim Trident. ait sess. 6. c. 6. gloriam iustus non meretur nisi adhibita perseverantia; & dependenter à conditione quod iustus extra statum vitæ sit; cum tamen meritum gloriæ & auxiliij ad tollendum illius impedimentum post mortem sit intrinsecum naturale iustorum operibus independenter à Dei voluntate: ergo licet detur dignitas demeritiua carenti auxiliis necessariis ad contritionem de illo in veniali, poterit esse carentium pro statu vitæ, ac dependenter ab eo statu tanquam à conditione: quare & eo statu per mortem cessante poterit & dignitas venialis carenti auxiliis ad contritionem de ipso cessare: ac proinde cessabit etiam tentata à nostro Vasquez contraditio. Verùm, si demeritum, seu dignitas demeritiua venialis carenti auxiliis ad contritionem de illo sit dignitas carenti determinato tempore, sicuti & ad poenas alias ob illud subeundas, nequit esse ex natura rei tempus illud determinatum vitæ, seu status vitæ tempus. Cum enim status vitæ non idem & æqualiter omnibus venialiter peccantibus sit, atque alij initio, alij prope vitæ, seu vitæ suæ finem venialibus

quæ malitiæ possint delinquere, cum æquali nimirum merito, & dignitate poenæ, fieri minimè potest, vt in æquale tempus carenti auxiliis vt poenam respiciant, ficuti respicere debent, si tempus vitæ, seu vitæ huius tempus sit ad eod in æquè peccantibus inæquale. Quo ruit impugatio prima.

4 Sed nec solidior est secunda: nam auxilia & gloria, quam iustus meretur, ex natura rei nec meretur determinatè, nec pro tempore determinato; sed solum meretur præmium supernaturale, liberumque profusus Deo ex rei natura fit, in his, vel illis supernaturalibus illud designare atque conferre. Vbi vero in gloria & auxiliis ad pellenda venialia post mortem donandis præmium designatur, rectè inferitur non mereri auxilia in hac vita conferenda de condigno: quia hæc, & illa præmia post mortem meritum excedunt, quod præmiis illis post mortem dandis omnino æquatur. Si ergo ex natura rei demeritum venialis respectu auxiliorum ad carentiam eorum pro tanto tempore est, vt aiunt recentiores, liberum Deo ex natura rei erit tempus tantum, quo illis careant, designare; non autem quod carentia auxiliorum minoris spatij soluat demeritum, seu dignitas carenti auxiliis. Ergo cum designatum tempus sit huius vitæ & vitæ status per te, quod post veniale commissum breuius multò sæpè est, quàm illud quo carere auxiliis dignus erat qui venialiter peccauit, etiam post mortem dignitas meritoria carenti auxiliis perseverabit nondum per satisfactionem illius poenæ omnino abolita, & quandoque nulla ferè sui parte imminuta: si quis nimirum prope mortem venialiter peccet. Denique ea omnia, quæ recentiores isti obiecerunt, locum habere, vt summum, possent respectu dignitatis meritorie venialis carenti auxiliis; si ea dignitas venialis non sit demeritua; sed dignitas formalis illius qualis qualis violationis amicitie Dei, atque diuersionis à Deo vltimo fine, vt iidem recentiores contendunt locum minimè habent: quamdiu enim venialis macula perdurat, ea etiam dignitas, quæ in illa sola adæquatè fundatur, permanebit: vt de dignitate formalis ad poenas mortalis subeundas docebamus d. 2. q. 2. cert. 2. & 3.

5 Eandem partem antecedentis, quod nimirum in veniali non sit dignitas carenti auxiliis ad contritionem de ipso, ac proinde quod nullam debiti obiectiui remissionem à Deo factam, contritio illa supponat, probat idem Vasquez à priori: quia veniale non constituit inimicum Dei; sed cum eius amicitia componitur: ergo relinquit motiuum, cuius intuitu possunt à Deo conferri beneficia, quæ ad arctiorem cum Deo amicitiam tendunt ex complacencia etiam venialiter peccantis: ergo nequit in veniali esse dignitas carenti auxiliis ad contritionem de veniali, qua ad arctiorem cum Deo amicitiam homo ille perueniat. Probo consequentiam: quia nequit aliquis dignus esse, qui priuatur auxiliis ad arctiorem amicitiam ab eo, qui actu de eius amicitia gaudet, sibi que complacet in illa. Secundo: dignitas carenti auxiliis ad arctiorem amicitiam cum Deo, pugnam habet cum aliqua vltiori amicitia Dei: sed veniale non habet pugnam cum aliqua vltiori amicitia Dei: ergo nec habet dignitatem carenti auxiliis ad vltiorem amicitiam cum Deo. Tertio probatur: quia omnium auxiliorum supernaturalium ad contritionem priuatio est poena grauissima, siquidem vnus solum donatio tam magnum præmium est: ergo est poena excedens malitiam leuem imputabilemque venialis demeritum. Sed instant recentiores iidem. Dignitas ad poenam temporalem cruciatuum composibilis est cum amicitia Dei in venialiter peccante; imò & dignitas ad carentiam temporalem visionis Dei: ergo & dignitas carenti temporariè auxiliis ad contritionem, composibilis cum amicitia Dei erit. Nego secundam partem antecedentis: veniale enim non meretur de condigno priuationem temporalem visionis Dei, licet eam formaliter impediatur. A dignitate verò poenæ sensus temporalis ad dignitatem carenti auxiliis nulla est paritas, cum adeo hæc illam excellat,

neque poena sensus arctiorem amicitiam cum Deo tollat, sicut tollit auxiliorum carentia. Instant secundò. Qui violat grauius amicitiam Dei per mortale, dignus est priuari omni auxilio, & beneficio Dei: ergo qui eam violat leuiter per veniale, dignus erit qui aliquibus Dei beneficiis, scilicet auxiliis ad se conueniendum de illo, saltem ad tempus priuatur. Nego consequentiam de auxiliis ob rationes datas, licet in aliis bonis non ad eod magnis; nec ad arctiorem amicitiam cum Deo spectantibus, & conducentibus videtur legitima.

CERTAMEN IV.

Conclusio probationum, & impugnationum eneruatis.

1 EX dictis constat conclusionem satisfactionis pro veniali absolute possibilis à puro homine, imò & de facto exhibendæ per perfectam contritionem de illo efficaciter absolutè à nostro Vasquez in suis eriam principijs probari, præcipuè si secundam illam antecedentem partem vltima probatione proximè à nobis assertam, assumamus; licet enim primam illius probationem recentiores Complutenses non satis, vt vidimus, impugnent; tamen non ad eod solidam iudicamus, atque locundam eius partis probationem à priori nostris supplicitiis roboratur. Constat etiam rectè eandem sententiam probari Soarj ratione: si illud de remissione facti à Deo in expulsiōne maculæ venialis omittatur. Tertio probatur efficaciter conclusio argumentis omnibus, quibus quæstione antecedenti cert. 6. probabamus posse iustum alteri mereri de condigno auxilia ad resurgendum à mortali, ac proinde & pro debito ipsius carenti auxiliis condignè satisfacere. Rationibus item quibus q. 3. & 4. ostendimus posse à puro homine pro macula & offensa mortali satisfieri: hæc enim efficacius argumento à maiori ad minus affirmatiuè de satisfactione pro veniali probabunt. Ea verò quibus præterit materic facile applicabit. Ex quibus omnibus tandem aperte conficitur ad satisfactionem pro venialibus Incarnatione Dei opus minimè fuisse.

2 Oppones primò ex Anselmo lib. 1. *cur Deus homo*. c. 21. Id est maius malum alio, quod vt euitetur, eligi illud aliud debet; atqui vt vitetur veniale, eligi debet contritionis negatio: ergo veniale maius malum est quam negatio contritionis: ergo contritio minus bonum est, quàm negatio venialis: ergo non est tam bona contritio, quàm sit malum veniale: quare nec est contritio æquiualens in æstimatione cordata pro veniali satisfactio, vt ratio Soarj nobis probata assumebat. Respondetur hoc argumentum nihil probare, quia multum probat. Eisdem enim, & principio, & consequentia probabis nec merita Christi esse tam bona, quàm sit malum veniale: quia eis etiam renunciantur foret, ne veniale patretur. Indequè rursus fieret, nec Christum meritis, & operibus suis potuisse pro veniali satisfacere. Probatur insuper infinitas malitiæ venialis, siquidem vt illud vitaremus, creatis omnibus, & infinitis meritis Christi renunciare debebamus. Distingua igitur maiorem argumenti: Quod eligi debet vt euitetur aliud ex dictamine rationis recto in ordine ad operationes cuiusque morales: nego maiorem: ex dictamine rationis recto attendente rerum intrinsecam valorem, & dignitatem sine ordine ad morales cuiusque operationes: concedo maiorem Minorem similiter distinguo: ex dictamine rationis recto in ordine ad operationes morales, concedo minorem; non in ordine ad illas, sed attendendo intrinsecum rerum valorem, & bonitatem; nego minorem: & inde nega consequentiam. Ratio est: quia etsi aliquod minus malum sit, quàm aliud; si tamen à recta ratione operandi discordat, recta operandi ratio non potest non ab illo discordare; ac proinde ex eius dictamine semper

semper illud fugiendum est, eiusque negatio procuranda, etsi aliud maioris in se bonitatis, valoris, & æstimabilitatis amittendum sit.

3 Oppones secundò contra rationem Vasquez: saltem est in veniali meritum congruum priuationis auxiliorum: ergo & in auxilij donatione ad contritionem de illo aliquis est à Deo remissio. Negant Vasquiani nonnulli antecedens, Deumque venialiter solum peccantibus nunquam ob venialis demeritum negare auxilia credunt; sed ne male vsuris vertantur malo. Sed certè de bono vsu auxiliorum efficacium certus omnino Deus est: ergo nequit ea venialiter peccantibus denegare, ne malè vianur ipsique; vertantur malo fatendum igitur est in veniali demeritum congruum auxiliorum cum Vasquiano, Gaspare, Hurrado. Primo: quia Patres passim denegari nobis à Deo auxilia ob venialia docent, grauioreque lapsus permitti, idque amica omnino, & rationabili prouidentia, vt scilicet cautiore deinceps circa venialia, atque in charitate feruentiores reddamur, ne ab ea per venialia decidamus, si Deus ob illa auxilia, quorum absolutus Dominus est ob maiorem nostram vilitatem, ac sine crudelitate vlla nobis denegat. Neganda tamen est consequentia: nam ex merito solum congruo non incurrimus debitum carendi auxilij: quare cum ea venialiter peccatori donat nullam debiti remissionem facit Deus. Instabis: meritum congruum auxiliorum auferit ab illis rationem gratiæ, vt ex Paulo inferunt Patres, & Concilia contra Massilienses: ergo demeritum de congruo eius, quod datur ad satisfactionem exhibendum, minuet huius perfectionem. Patet: quia si gratia quoduis minutulum etiam meritum excludit, ita, & satisfactio cuiusuis etiam minutuli debiti remissionem. Nego consequentiam: quam minimè probat ratio subiuncta, cum in merito congruo carendi auxilio nullum adhuc minutulum debitum carendi illo inueniatur, ac proinde neque in eius donatione ad contritionem de veniali, quæ pro illo satisfactio est, vlla minuta ad huc remissio.

4 Hinc autem dubitabis quomodo auxilium ad contritionem de veniali sit gratia reparationis per Christum, cum illius carentiam per veniale de condigno non fuerimus promeriti? Vasquez cap. 3. n. 21. docet non esse gratiam reparationis in se; sed in radice ratione nostri originalis in omnibus, & actualis mortalibus in aliquibus. Addit verò non esse gratiam reparationis in radice ratione peccati Adæ, quod cum, & alienum, & iam delatum sit, non videtur in nobis dignitas aliqua eius carentiæ inde in nobis perseverare. Quomodo autem hoc cohæreat cum eo, quod iuxta ipsum 1. p. d. 95. c. 5. Adæ peccatum sit causa nostræ reprobationis: quia debito actiui peccati Adæ passiuum in nobis respondere debeat, iuxta eundem 3. p. d. 216. c. 5. vbi ex debito actiui Adæ ad nostri originalis contractionem passiuum in nobis ad illam probat, examinationem à nobis est controuersis de prædestinat, ac de peccatis. Addo ego ad rem præsentem auxilia ad contritionem de veniali non solum in radice; sed, & in se esse gratiam reparationis per Christum: quatenus meruit nobis Christus, vt non obstante demerito congruo auxiliorum, quod in nostris venialibus est, eius demeriti, occasione nobis non denegentur à Deo.

CONTROVERSIA III.

De causis extrinsecis incarnationis.

De intrinsecis incarnationis causis disputatum affatim à nobis est, dum verbo & humanitate media vnione hypothetica coassare docuimus, atque vnionis huius terminos formales, materiales, & natu-

ram monstrauimus controu. 1. quare nunc de extrinsecis incarnationis eiusdem causis, sine nimirum, occasione, & motiuo, atque efficienti cum physica, tum meritoria causa agendum nobis præsentem controuersia erit.



DISPUTATIO I.

De fine, & occasione incarnationis.



VM rerum omnium ab intellectu agente liberè effectarum, vt à Deo Incarnatio peracta est, prima causa sit finis, de Incarnationis à Deo efficiendæ fine agendum primo loco in præsentiarum erit: videndumque in primis quifnam Deo Incarnationis decernendæ tam intrinsecè, quàm extrinsecè adequatus finis extiterit? Qui quidem cum reparatio hominis à peccato fuisse deprehendatur, videndum secundo loco erit, an Incarnatio ob huiusmodi finem ante præuisum peccatum decerni poterit. Tertio, an poterit decerni ob eiusmodi finem efficaciter intentum ante, vel saltem post peccatum præuisum. Quarto an deficiente peccato, ex vi præsentis decreti Christus veniret? Quæ omnia seorsim examinanda duxi, vt eorum, qui illa coniunctim disputantes, omnia implicant potius quàm explicant, confusionem vitarem.



QVÆSTIO I.

Quisnam Deo Incarnationis decernendæ adequatus extiterit finis?



VM nemo sensum Domini nouerit, ipse uè de rebus statuenti à consilijs fuerit teste Paulo, nihil in hac quæstione firmum humano discursu afferri posset, ni Deus ipse per scripturas Apostolicas traditiones, Concilia, & Patres suum nobis in tanto mysterio peragendo finem explicuisset. Quare hac vel maxime in re à Patribus, Concilijs, & scriptura ne latum quidem vnguem licet sano Theologo discedere.

CERTAMEN I.

Qui negent, quique asserant hominis reparationem à peccato incarnationis finem extitisse.

Recentiores Thomistæ cum Caietano 3. p. q. 1. a. 3. ad secundum uerò dubium, asserunt Incarnationem præcessisse redemptioni causalitate tanquam huius finem; non autem præcessisse prioritate maioris vniuersalitatibus, seu à quo non valet subsistendi consequentia. Ita enim aiunt: Incarnationem Deus decreuit, vt eam redemptioni peccati alligauerit, quæ sine peccato esse minimè potest. Quibus Thomistæ hi, vel redemptionem peccati Incarnationis finem extitisse negant, vel mutuum causalitatem finalem inter Incarnationem, & peccati redemptionem manifestè admittunt. Id quod, & contra ipsorum doctrinam est, & cum in eodem genere causæ finalis admittatur omnium iudicio, ac principio per se noto repugnans. Sed neque quidquam solidum pro sua asserunt doctrina; imò uerò contra illam multa. Etenim per ipsos Incarnatio, ac merita Christi absolute præuisa, ac proinde in executione